A 249

III

Donati Aelii... de octo partibus orationis methodus. Kolozsvár 1581. Szabó II. 164.

Kolozsvár, volt. ref. koll. kvtár, RMK 94a.

# AELII DO-
NATI, VIRI CLARISSIMI,
DE OCTO PARTIBVS ORA-
tionis Methodus, Quæſtiunculis
puerilibus, vndiq; collectis,
illuſtrata: Per Leonhar-
tum Culman-
num.

REF. TANODA KOLOZSVÁR

Denuo reuiſa & diligenter reco-
gnita, per Gregorium Molnar.

Kolozsvári ref. Coll. 1881

CLAVDIOPOLI
Excuſa Anno Domini
M. D. LXXXI.

Liber eſt meus qui vocor Andreas
Cognomine Berde

# THOMAS VENATORIVS.

*Riuulus è tenui ducit primordia tofo,*
*Cuius nunc rapido fonte feruntur aquæ.*
*Surgit in immenſum modico theſaurus ab ære,*
*Qui paßim Crœſi vincere poßit opes.*
*Et puer è paruis ſtudiorum exordia poſcit,*
*Donec ſufficiat grandia ſcripta ſequi.*

# MICHAEL ET LAVrentius Chiliani.

MICH. *Quam rem hic agis Laurenti?* LAV. *Hic Donatum, quem vulgo minorem vocant, ediſco.* MICH. *Quid is quæſo docet?* LAV. *Dictionum naturas & inflexiones.* MICH. *Natura dictionum quo poteſt pacto depræhendi?* LAV. *Non poteſt illa melius depræhendi, & abſolutius deſcribi, quam per ſubnotationem partium orationis: quia omnes Latinæ dictiones ſub his partibus orationis comprehenduntur.*

# AELII DONATI METH.

## DE NOMINE.

PArtes orationis quot ſunt? Octo. Quæ? Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbium, Participium, Coniunctio, Præpoſitio, Interiectio.

*¶Quare dicuntur partes orationis? Quia ſunt voces indicantes mentis conceptum, id eſt cogitationem. ¶Quomodo diuiduntur partes orationis? In declinabiles, & indeclinabiles. ¶Quot ſunt partes Declinabiles? Quatuor: Nomen, Pronomen, Verbum, & Participium. ¶Quare dicuntur declinabiles? Quia à prima voce in alias cadunt, & per Caſus, Tempora, & Modos flectuntur. ¶Quot ſunt partes Indeclinabiles? Quatuor: Aduerbium, Coniunctio, Præpoſitio, Interiectio. ¶Quare dicuntur indeclinabiles? Quia à prima voce in alias non cadunt, nec per caſus, nec per tempora ac modos variantur. ¶Quomodo diuiduntur partes orationis declinabiles?*

In principales, & caſuales. ¶Quot ſunt Principales? Duæ, Nomen & Verbum: Quia ſine his perfecta oratio non conſiſtit. ¶Quot ſunt partes orationis Caſuales? Tres. Nomen, Pronomen, & Participium. Quia caſibus inflectuntur.

*Magiſter quæ pars? Eſt Nomen. Vel: Magiſter cuius partis? Eſt Nominis partis.*

NOmen quid eſt? Pars orationis cum caſu, corpus aut rem, proprie communiterue ſignificans. Proprie, vt Roma, Tyberis. Communiter, vt vrbs, flumen.

*¶Quare nomen primum ponitur? Quoniam ex eo rerum omnium notitia procreatur. ¶Vnde dicitur nomen? A notamine, ſiue à notione vel notitia, eo quod ſuo vocabulo res incognitas, notas efficiat. ¶Vnde cognoſcis nomen? Ex eius vulgari lingua Ein, az: vt homo ein Menſch, az ember. ¶Quod nomen ſignificat corpus? Quod tangi poteſt aut videri, vt, homo, cœlum. ¶Quid eſt corpus?*

Quic



*Quicquid ſentitur, vt aër, lapis. ¶Quod nomen ſignificat rem? Quod nec tangi poteſt nec videri, vt, probitas. ¶Quid eſt res? Quicquid nullo ſēſu percipitur, vt, angelus, anima.*

Nomini quot accidunt? Sex: Accidentia. Quæ? Qualitas, Comparatio, Genus, Numerus, Figura, Caſus.

*¶Quare huiuſmodi voces dicuntur accidentia? Quia ſunt partium orationis quædam notiones ſeu notæ, quæ per caſus flectuntur & genera: Ea ſimiliter agnoſco eſſe nomina &c.*

Qualitas Nominum in quo eſt? Bipartita eſt. Quomodo? Aut enim vnius nomen eſt, & Proprium dicitur: aut multorum & eſt Appellatiuum.

Qualitas

*¶Quid eſt qualitas? Eſt qua nomen Proprium, aut Appellatiuum eſſe cognoſcitur. ¶Roma cuius qualitatis? Propriæ: Quia vnius nomen eſt. ¶Quid eſt nomen Proprium?*



Quod

Quod vni tantum conuenit. Ein eigner oder tauffnam. ¶Magiſter cuius qualitatis? appellatiuæ: quia eſt nomen multorum. ¶Quid eſt nomen Appellatiuum? ¶Quod multis commune eſt. ¶Quottuplex eſt nomen Appellatiuum? Duplex: Subſtantiuum & Adiectiuum. ¶Magiſter quale nomen? Subſtantiuū. ¶Quid eſt nomen Subſtantiuum? Cui addi non poteſt, vir mulier, mancipium. Poteſt autem per ſe cum verbo ſtare in ſenſu perfecto: vt, Magiſter docet. Doctus quale nomen? Adiectiuū. ¶Quid eſt nomen Adiectiuum? Cui addi poteſt vir, mulier, mancipium. Non autem poteſt per ſe ſtare cum verbo in ſenſu perfecto: nam doctus ſedet non dicitur, ſed oportet exprimere vel ſubaudire homo, aut quid ſimile. ¶Vnde dicitur Subſtantiuum? A ſubſto, quia adiectiuo ſubſtat. ¶Vnde dicitur Adiectiuum? Ab adijcior: quia ſubſtantiuo adijcitur, ſine quo ſenſum non perficit. ¶Cōparatur ne Magiſter? Non. Quia non eſt nomen adiectiuum. ¶Cōparatur ne doctus? Etiam: Quia eius ſignificatio poteſt augeri aut minui in comparando.

Comparationis gradus quot ſunt? Tres. Qui? Poſitiuus, vt do-





ctus, Comparatiuus, vt doctior. Superlatiuus, vt doctiſsimus. Quæ nomina comparantur? Appellatiua duntaxat, qualitatem aut quātitatem ſignificantia. Qualitatem vt, bonus, malus: Quantitatem, vt, magnus, paruus. Comparatiuus cui caſui ſeruit? Ablatiuo vtriuſque numeri, ſine præpoſitione. Quomodo? Dicimus enim, doctior illo, & doctior illis. Superlatiuus cui? Genitiuo tantum plurali vel collectiuo ſingulari. Quomodo? Dicimus enim, doctiſsimus Poetarum, vel optimus plebis.

¶ Comparatio.

¶Quid eſt Comparatio? Eſt variatio per gradus, vel, eſt rei ad rem aſsimilatio. ¶Quibus nominibus accidit comparatio? Duntaxat nominibus adiectiuis: nullum enim ſubſtanti-

uum comparatur. ¶ Comparantur ne omnia adiectiua? Non: ſed ea ſola, que primi nominis ſcriptores, & latinæ lingu[illegible]rimates viri, in comparationem admiſerunt[illegible]Quotuplex eſt Comparatio? Duplex. [illegible]ularis & Irregularis. ¶ Quid eſt Compar[illegible]o Regularis? Quæ primam ſyllabam in com[illegible]rando per integrum ſeruat: vt doctior, doctiſ[illegible]mus. ¶ Quid eſt comparatio Irregularis? Quæ primam ſyllabam per integrum non ſeruat. Nam gradus non rite formantur, nec analogiam ſequuntur: vt, bonus, melior, optimus. Malus, peior, peßimus. ¶ Quot modis comparantur adiectiua: Tribus, vel per tres terminationes, vt: In maſculino genere, doctus, doctior, doctißimus.

Fœminino, docta, doctior, doctißima.

Neutro, doctum, doctius, doctißimum.

Vel per duas terminationes, vt:

hic fortis fortior fortißimus.

hæc fortis fortior fortißima.

hoc forte fortius fortißimum.

Vel per vnam terminationem, vt:

hic felix felicior feliciſſimus.

hæc felix felicior feliciſſima.

hoc felix felicius feliciſſimum.

Doctus



¶ Doctus cuius gradus comparationis? Poſitiui: Quia eſt prima vox nominis adiectiui, & fundamentum graduum, & ſignificat rem ſuam ſine exceſſu ¶ Quot ſunt terminationes poſitiui? Quinque, Er, ir, us, ns, x: vt, niger, fortis, albus, ſapiens, felix. ¶ Vnde formatur poſitiuus? A nullo formatur: ſed alij duo formantur ab eo. ¶ Doctior cuius gradus comparationis? Comparatiui: Quia in eo primo fit exceſſus, qui ſupra poſitiui ſignificationem magis ſignificat: vt doctior, id eſt magis doctus. ¶ Quot ſunt terminationes comparatiui? Duæ, or & us. ¶ Comparatiuus vnde formatur? A primo caſu poſitiui, addendo or vel us: vt docti, doctior, doctius. ¶ Doctiſſimus cuius gradus comparationis? Superlatiui. Quia in eo ſummus eſt exceſſus, qui ſupra poſitiui ſignificationem valde ſignificat, vt doctißimus. Id eſt, valde doctus. ¶ Quot ſunt terminationes ſuperlatiui gradus? Tres. Rimus, ſimus, & limus. ¶ Vnde formatur niger rimus? A Nominatiuo per additionem rimus. ¶ Vnde formatur doctißimus? A primo caſu poſitiui deſinente in i, addendo s & ſimus. vt docti doctißimus. ¶ Vnde formatur faciliſſimus? A nominatiuo vel genitiuo, s in i mutando, &

Poſitiuus.

Comparatiuus.

Superlatiuus.



limus

ſcemum diſtinguat [illegible]



*limus addendo.* ¶*Comparantur ne omnia adiectiua per tres gradus? Minime: quia quædam carent poſitiuo, vt habitior, ocyor. Quædam Comparatiuo, vt meritus, inclytus. Quædam ſuperlatiuo, vt iuuenis, adoleſcens, ſenex* ¶*Mouetur ne doctus? Mouetur.* ¶*Quid eſt Motio? Eſt generis in genus, vocis in vocem mutatio.* ¶*Quot modis mouentur adiectiua? Tribus, aut per tria genera, & per tres terminationes, vt hic doctus hæc docta hoc doctum. Aut per tria genera, & per duas terminationes, vt hic & hæc fortis, & hoc forte. Aut per tria genera, & per vnam tantum terminationem, vt hic & hæc & hoc ſelix.*

**Motio.**

**Genus.**

Genera nominum quot ſunt? Quatuor. Quæ? Maſculinum, vt, hic Magiſter. Fœmininum, vt, hæc Muſa. Neutrum, vt, hoc Scamnum. Commune, vt hic & hæc Sacerdos. Eſt præterea trium generum, quod Omne dicitur, vt hic & hæc & hoc felix. Eſt & Epicœnum,



cœnum, id eſt, Promiſcuum genus, vt, hic paſſer, hæc aquila, muſtela, miluus.

¶*Quid eſt genus? Eſt diſcretio ſexus.* ¶*Quot modis cognoſcitur genus? Tribus. Significatione, vt, obſtetrix. Terminatione, vt, aula. Autoritate doctorum, vt, pauper, hoſpes. Etiam additione adiectiuorum ſiue articulorum.* ¶*Magiſter cuius generis? Maſculini: quia eſt nomen declinatum per articulum hic.* ¶*Muſa cuius generis? Fœminini: quia eſt nomen declinatum per articulum hæc.* ¶*Scamnum cuius generis? Neutri: quia eſt nomen declinatum per articulum hoc.* ¶*Sacerdos cuius generis? Communis: quia eſt nomen per hic & hæc coniunctim declinatum.* ¶*Felix cuius generis? Omnis: quia eſt nomen per hic & hæc & hoc diuiſim declinabile.* ¶*Dies cuius generis? Dubij: quia eſt nomen per hic vel hæc diuiſim declinabile.* ¶*Paſſer cuius generis? Epicœni: quia eſt nomen ſub vna voce & vno articulo animalia vtriuſque ſexus ſignificans.* ¶*Quid eſt articulus? Eſt vox ſequentem caſum & numerum indicans.*

Quid

Quid intereſt inter articulos & pronomina? Pronomina ea putantur, quæ cum ſola ſunt, vicem nominis complent, Articuli vero, qui in declinationibus, aut nominibus, aut participijs adiunguntur.

**Numerus.**

Numeri nominum quot ſunt? Duo. Qui? Singularis, vt, hic magiſter, Pluralis, vt, hi magiſtri.

¶Quid eſt numerus? Eſt vox vnius aut pluriũ ſignificatiua. ¶Magiſter cuius numeri? Singularis: quia eſt nomen ſingulariter prolatum: de vno enim tantum loquitur. ¶Magiſtri cuius numeri? Pluralis: quia eſt nomen pluraliter prolatũ: de pluribus enim loquitur.

**Figura.**

Figuræ nominum quot ſunt? Duæ. Quæ? Simplex, vt, decens, potens. Compoſita, vt, indecens, impotens.

¶Quid eſt figura? Eſt qua nomen ſimplex aut compoſitum, ſiue etiam decompoſitum eſſe cognoſcitur: ¶Doctus cuius figuræ? Simplicis: quia vna dictione conſtat. Non enim componitur ex partibus ſignificantibus. ¶Indoctus

doctus



doctus cuius figuræ? Compoſitæ: quia eſt nomen ex diuerſis dictionibus connexum: Componitur enim ex partibus ſignificantibus: vt, in & doctus. ¶Inexpugnabilis cuius figuræ? Decompoſitæ: quia ex pluribus conſtatur. ¶Quid eſt figura decompoſita? Qua nomen compoſitum vlteriorem compoſitionem admittit: vt, inextinguibilis, irreprehenſibilis.

**Compoſitio.**

Quot modis nomina componuntur? Quatuor. Quibus? Ex duobus integris, vt, ſuburbanus. Ex duobus corruptis, vt, efficax, municeps. Ex integro & corrupto, vt, ineptus, inſulſus. Ex corrupto & integro, vt, nugigerulus. Aliquando ex compluribus, vt, inexpugnabilis, imperterritus.

¶Quid eſt compoſitio? Eſt nomen diuiſibile in partes ſignificatiuas, prioris ſenſus capaces. ¶Quibus partibus accidit compoſitio? Omnibus, dempta interiectione, quæ ſemper eſt ſimplex, & quædam participia.

Qu-

Caſus, à cadendo dictus, quia [illegible] in terminationem [illegible]



¶Quomodo id fit: Primo, nomen componitur cum nomine: vt, paterfamilias. Cum pronomine, vt, huiuſcemodi. Cum verbis, vt, armiger. Cum aduerbijs, vt, indoctè. Cum participijs, vt, ſenatuſconſultum, plebiſcitum. Cum coniunctione: vt, vterque. Cum præpoſitione: vt, infidus.

Caſus nominum quot ſunt? Sex. Qui? Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accuſatiuus, Vocatiuus, & Ablatiuus. Per hos enim caſus omnium generum nomina, pronomina, participia declinantur.

Caſus. ¶Quid eſt caſus? Eſt gradus declinationis vel finalis variatio dictionum. ¶Quomodo diuidũtur caſus? In rectos & obliquos. ¶Quot

Recti. ſunt recti? Duo. Nominatiuus & Vocatiuus, quia à fronte verborum conſtruuntur. ¶Quot

Obliqui. ſunt obliqui? Quatuor. Genitiuus, datiuus, accuſatiuus & ablatiuus: quia à tergo verborum conſtruuntur. ¶Magiſter cuius caſus? Nominatiui: quia in eo caſu declinando repe-

ritur

Declinatio, à verbo declino [illegible] [illegible] dicta [illegible] [illegible] quia [illegible]



ritur. ¶Quid eſt ſeptimus caſus, quo latini ſcriptores non raro vtuntur? Eſt ablatiuo ſimilis. ¶Quomodo differunt ablatiuus & ſeptimus caſus? Ablatiuus præpoſitiones ſemper recipit, & vno modo profertur: vt, ab oratore magiſtro venio. Septimus autem ſine præpoſitione & varijs modis enunciatur: vt, Oratore Magiſtro venio. ¶Quid eſt octauus caſus? Cum quid per accuſatiuum & cum præpoſitione dici debebat, per datiuum tamen ſine præpoſitione dicitur. vt, Clamor it cœlo, Subeunt muro. ¶ Muſa quotæ declinationis? Primæ: quia eius genitiuus ſingularis in æ diphtongum deſinit. ¶Magiſter quotæ declinationis? Secundæ: quia eius genitiuus ſingularis in i productum deſinit. ¶Sacerdos quotæ declinationis? Tertiæ: quia eius genitiuus ſingularis in is breue exit. ¶Fructus quotæ declinationis? Quartæ: quia eius genitiuus ſingularis in us productam deſinit. ¶Species quotæ declinationis? Quintæ: quia eius genitiuus in ei diuiſas ſyllabas deſinit.

Septimus caſus.

Octauus caſus.

¶Quid eſt declinatio? Eſt inflexio nominum in fine per caſus. ¶Quot ſunt declinationes nominum? Quinque: Prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta. ¶Penes quid declinatio

Declinatio.

nomi

nominis iudicanda & dimetienda eſt? Sola genitiui caſus deſinentia. ¶Quottuplex eſt declinatio? Duplex. Conſequens & Inconſequens. ¶Quid eſt declinatio conſequens? Eſt ſimilium regularis & vniformis proportio. ¶Quid eſt declinatio inconſequens? Eſt diſſimilium regularis conſuetudo.

*Declina aliquod nomen Secundæ declinationis.*

*Donatus reſpexit genus non ordinem declinationũ.*

MAgiſter, nomen Appellatiuum, generis maſculini, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic magiſter. Genitiuo huius magiſtri. Datiuo huic magiſtro. Accuſatiuo hunc magiſtrum. Vocatiuo ò magiſter. Ablatiuo ab hoc magiſtro. Et pluraliter, Nominatiuo hi magiſtri. Genitiuo horum magiſtrorum. Datiuo his

magi



magiſtris. Accuſatiuo hos magiſtros. Vocatiuo ò magiſtri. Ablatiuo ab his magiſtris.

*¶Da paradigma Primæ declinationis.*

*¶Paradigma Primæ declinationis.*

MVſa, nomen appellatiuum, generis fœminini, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & vocatiui & ablatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hæc muſa. Genitiuo hui⁹ muſæ. Datiuo huic muſæ. Accuſatiuo hanc muſam. Vocatiuo ò muſa. Ablatiuo ab hac muſa. Et pluraliter, Nominatiuo hæ muſæ. Genitiuo harum muſarum. Datiuo his muſis Accuſatiuo has muſas. Vocatiuo ò muſæ. Ablatiuo ab his muſis.



Secun

*Secundæ Declinationis neutri generis nomen declinabitur.*

*¶Paradigma ſecundæ declinationis.*

SCamnum, nomen appellatiuum, generis neutri, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & accuſatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hoc ſcamnum. Genitiuo huius ſcamni. Datiuo huic ſcamno. Accuſatiuo hoc ſcamnũ. Vocatiuo ò ſcamnum. Ablatiuo ab hoc ſcamno. Et pluraliter, Nominatiuo hæc ſcamna. Genitiuo horum ſcamnorum. Datiuo his ſcamnis. Accuſatiuo hæc ſcamna. Vocatiuo ò ſcamna. Ablatiuo ab his ſcamnis.

*Dic quæſo formam declinandi nominis tertiæ Declinationis.*

Sacer



*¶Paradigma tertiæ declinationis.*

SAcerdos, nomen appellatiuum, generis communis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic & hæc ſacerdos. Genitiuo huius ſacerdotis. Datiuo huic ſacerdoti. Accuſatiuo hunc & hanc ſacerdotem. Vocatiuo ò ſacerdos. Ablatiuo ab hoc & ab hac ſacerdote. Et pluraliter, Nominatiuo hi & hæ ſacerdotes. Genitiuo horum & harum ſacerdotum. Datiuo his ſacerdotibus. Accuſatiuo hos & has ſacerdotes. Vocatiuo ò ſacerdotes. Ablatiuo ab his ſacerdotib⁹.

*Quomodo declinatur fœlix, eiuſdem declinationis nomen?*



Felix

FElix, nomen appellatiuũ, generis omnis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & accuſatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic & hæc & hoc felix. Genitiuo huius felicis. Datiuo huic felici. Accuſatiuo hunc & hanc felicem, & hoc felix. Vocatiuo ò felix. Ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc felice vel felici. Et pluraliter Nominatiuo hi & hæ felices, & hæc felicia. Genitiuo horum & harum & horum felicium. Datiuo his felicibus. Accuſatiuo hos & has felices, & hæc felicia. Vocatiuo ò felices, & ò felicia. Ablatiuo ab his felicibus.

Fru



¶ *Fructus, quartæ declinationis nomen, quomodo quæſo flectitur?*

¶ *Paradigma quartæ declinationis.*

FRuctus, nomen appellatiuum, generis maſculini, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui, genitiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic fructus. Genitiuo huius fructus. Datiuo huic fructui. Accuſatiuo hunc fructum. Vocatiuo ò fructus. Ablatiuo ab hoc fructu. Et pluraliter, Nominatiuo hi fructus. Genitiuo horum fructuum. Datiuo his fructibus. Accuſatiuo hos fructus. Vocatiuo ò fructus. Ablatiuo ab his fructibus.

¶ *Parad[igma] qui[n]tæ declin[a]tionis.*

*Quæ nam eſt forma declinandi nomen quintæ Declinationis.*

SPecies, nomen appellatiuũ, generis

neris fœminini, numeri ſingulâris, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hæc ſpecies. Genitiuo huius ſpeciei. Datiuo huic ſpeciei. Accuſatiuo hanc ſpeciem. Vocatiuo ô ſpecies. Ablatiuo ab hac ſpecie. Et pluraliter, Nominatiuo hæ ſpecies. Genitiuo harum ſpecierum Datiuo his ſpeciebus. Accuſatiuo has ſpecies. Vocatiuo ô ſpecies. Ablatiuo ab his ſpeciebus.

## ARTICVLI DECLINATIONVM.

| | SING. N. G. D. A. V. Ab. | PLVR. N. G. D. A. V. Ab. |
|---|---|---|
| Maſ. | Hic, huius, huic, hũc, ab hoc | Hi, horũ, his, hos, ab his. |
| Fœ. | Hæc, huius, huic, hãc, ô, ab hac. | Hę, harũ, his, has, ab his. |
| Neu. | Hoc, huius, huic, hoc, ab hoc. | Hę, hõr, his, hęc, ab his. |

¶ *Quid eſt litera terminalis? Eſt vltima litera alicuius dictionis.* ¶ *Quid eſt terminatio? Eſt vltima ſyllaba alicuius dictionis.*





PRima declinatio quot literas terminales habet? duas. Quas? a & s. Quot terminationes? Tres. Quas? a, as, es. Da exemplum, a, vt poeta, as, vt Aeneas, es, vt Anchiſes. Quæ eſt agnitio primæ declinationis? Hæc eſt, cuius genitiuus & datiuus ſingularis, & nominatiuus & vocatiuus plurales in æ diphthongon deſinunt. Accuſatiuus in am correptam. Vocatiuus ſimilis eſt nominatiuo. Ablatiuus in a productam. Genitiuus pluralis in arum correptam. Datiuus & ablatiuus in is productā. Accuſatiuus in as productam.

SEcunda declinatio quot literas terminales habet? Tres. Quas?

r, s, m. Quot terminationes? Sex. Quas? er, ir, ur, us, eus, um. Da exemplum, Er: vt ſacer: ir, vt vir: ur, vt ſatur: us, vt dominus: eus, vt Tideus: um, vt templum. Quæ eſt agnitio ſecundæ declinationis? Hæc eſt, cuius genitiuus ſingularis, & nominatiuus & vocatiuus plurales in i productam deſinunt. Datiuus & ablatiuus in o productam. Accuſatiuus in um correptam. Quando nominatiuus in r vel in m deſinit, ſimilis erit ei vocatiuus. Quando in us, tunc us mutatur in e: vt dominus, domine: Quando vero in ius, ſi ſint propria nomina, abiecta us, fit vocatiuus in i: vt Virgilius, Virgili

&



& vnum appellatiuum, quod eſt filius, vt ô fili. Genitiuus pluralis in orum correptam. Datiuus & ablatiuus in is productam. Accuſatiuus in os productam, vel in a correptam.

Tertia declinatio quot literas terminales habet? Decē. Quas? a, e, o, c, l, n, r, s, t, x. Da exemplum, a, vt, poema: e, vt, monile: o, vt, virgo: c, vt, lac: l, vt, mel: n, vt, nomen: r, vt, pater: s, vt, ciuitas: t, vt, caput: x. vt, felix. Quot terminationes? Septuaginta octo, vel paulo plus. Quæ eſt agnitio tertiæ declinationis? Hæc eſt, cuius genitiuus ſingularis in is correptā deſinit. Datiuus in i productam.

¶ *Proſodia caſuum.*



Accu

Accuſatiuus in em vel in im corre-ptam. Vocatiuus ſimilis eſt nomi-natiuo. Ablatiuus in e correptam, vel in i productam. Nominatiuus & accuſatiuus & vocatiuus plura-les in es productam, vel in a cor-reptam. Genitiuus pluralis in um vel in ium correptam. Datiuus & ablatiuus in bus correptam.

QVarta declinatio quot literas terminales habet? Duas. Quas? s & u. Quot terminatio-nes? Similiter duas, Quas? us & u. Da exemplum: us, vt, manus: u, vt, cornu Quæ eſt agnitio quartæ declinationis? Hæc eſt, cuius geni-tiuus ſingularis, & nominatiuus & accuſatiuus & vocatiuus pluralis in

*Proſodia ſuum.*



in us productam deſinunt. Datiu' in ui productam. Accuſatiuus in um correptam. Vocatiuus ſimilis eſt nominatiuo. Ablatiuus in u pro ductam. Genitiuus pluralis in uum correptam. Datiuus & ablatiuus in bus correptam.

QVinta declinatio quot literas terminales habet? Vnam. Quam? s. Quot terminationes? Similiter vnam. Quam? es produ-ctam, vt, dies. Quæ eſt agnitio quintæ declinationis? Hæc eſt cui-us genitiuus & datiuus ſingulares in ei, diuiſas ſyllabas, deſinunt. Accuſatiuus in em correptam. Vo catiuus ſimilis eſt nominatiuo. Ablatiuus in e productam. Nomi-nati

natiuus & accuſatiuus & vocatiuus plurales in es productam. Genitiuus pluralis in erum correptā. Datiuus & ablatiuus in bus correptam.

200 loco [illegible] quia nominis officio fungitur.

## DE PRONOMINE.

PRonomē quid eſt? Pars orationis, quæ pro nomine poſita, tantundem penè ſignificat, perſonamq; interdum recipit.

¶Quare poſt nomen debet ſequi pronomē? Quia pronomen nominis officio fungitur. Cum enim non ſine vitio nomen in aliquot orationibus vſurpari videatur, repertum eſt pronomen quod illius loco non ſine magno lepôre ponitur, vt: Quæ venit immerito pœna, dolenda venit. Si ſubtracto pronomine dices, Pœna, ſi immerito venit, pœna dolenda venit, quis non videret? ¶Vnde dicitur pronomen? A pro & nomen,



nomen, quaſi dicas, vice nominis. Quoties enim demonſtratur, hic fecit, perinde eſt, ac ſi dicas, Petrum vel Paulum feciſſe. ¶Vnde dignoſcitur, quæ dictio ſit pronominis partis? Ex Donati recenſione fideli. Quot ſunt pronomina? Quindecim. Ego, tu, ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is, meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, noſtras & veſtras. ¶Quod nam eſt horum officium? Demonſtrare, aut repetere. Cum enim nomina tàm prima quàm ſecunda perſona careant, acceßit hæc pars, quæ verbis ad perficiendam orationem omnem perſonam ſuppeditare poſſet. ¶Cur omittis, quis, quæ, quod, talis, qualis, quantus, tantus, & plura à Donato inter pronomina numerata? Quia non ſunt pronomina: eo quod incertitudinem ſignificant. Pronominis autem eſt certi aliquid ſignificare, & pro aliquo proprio nomine poni. Hoc iſtis non conuenit. Ergo nomina ſunt, non pronomina. Sed quia declinationem pronominis habent, ideo inter ea etiam à Donato numerantur & collocantur. Quodnam eſt diſcrimen nominis & pronominis? Nomen ſignificat ſubſtantiam & qualitatem, id eſt, rem ipſam & rei conditionem, vel communem vel propriam, vt: animal. Significat enim rem

*rem illam animal, & conditionem communem, quia conueniens eſt multis.* Pronomen *vero duntaxat ſubſtantiam ſignificat, ſed conditio non explicatur.* ¶ *Quid ſibi vult* Donatus *dicendo:* Tantundem *penè ſignificat? Videtur velle ſentire minus aliquanto ſignificare pronomen, quam nomen. Nam etſi pronomina vim nominum exprimunt, non tamen plenè exprimunt. Nomina enim poſita, plenas faciunt elocutiones: pronomina ſemiplenas: vt ſi dicas: Virgilius ſcripſit Bucolica, ipſe ſcripſit & Georgica.* ¶ *Quare interdum, dicit* Donatus? *Quia vult oſtendere, non omnia pronomina finitas recipere perſonas.*

*Accidentia*

Pronomini quot accidunt? Sex. Quæ? Qualitas, Genus, Numerus. Figura, Perſona, Caſus.

*Qualitas.*

Qualitas pronominum in quo eſt? Duplex eſt. Quomodo? Aut enim Finita ſunt pronomina, aut Infinita. Quæ ſunt finita? Quæ recipiunt perſonas: vt, ego, tu, ille.

*Finita.*

*Infinita.*

Quæ ſunt infinita? Quæ non recipiũt perſonas: vt, quis, quæ, quod.



¶ *Quid eſt qualitas? Quæ pronomen finitum ab infinito diſcernit.* ¶ *Ego cuius qualitatis? Finitæ: quia ad certam perſonam geſtum dirigit.* ¶ *Quot ſunt pronomina finita? Tria. Ego, tu, ille.* ¶ *Quare dicuntur finita? Quia definiunt & demonſtrant perſonam aliquam certam. Quis. cuius qualitatis? infinitæ quia perſonas certas non recipit. Quæ ſunt illa? Quis, qualis, talis, quantus, tantus, quotus, totus, hæc enim nullam certam rem præſentem notant.* ¶ *Ipſe cuius qualitatis? Minus quam finitæ.* ¶ *Quæ ſunt illa? Ipſe, iſte, illic, is, idem, ſui, quæ certis incertiſq; perſonis aptari poſſunt.*

*Genus.*

Genera pronominum quot ſunt? Eadem ferè quæ & nominum: Maſculinum, vt, quis. Fœmininum, vt, quæ. Neutrum, vt, quod. Commune, vt, qualis, talis. Trium generum, quod omne dicitur

citur, vt, ego, tu, ſui.

¶Quot ſunt genera pronominum? Quinq;. Maſculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune & Omne. ¶Meus cuius generis? Maſculini: quia prima vox pronominis eſt generis Maſculini. ¶Mea cuius generis? Fœminini: quia ſecunda vox pronominis eſt generis Fœminini. ¶Meum cuius generis? Neutri: quia tertia vox pronominis eſt Neutri generis. ¶Noſtras cuius generis? Communis: quia præponuntur ei in declinando duo articuli, hic & hæc. ¶Ego cuius generis? Omnis: quia ſic eſt ſicuti cui adhæret, vt, ego Ioannes, ego Barbara, ego mancipium.

In hoc nomi: Amo

**Numerus.**

Numeri pronominum quot ſunt? Duo. Qui? Singularis, vt, hic. Pluralis, vt, hi.

¶Ego cuius numeri? Singularis: quia ſingulariter profertur. ¶Nos cuius numeri? Pluralis: quia pluraliter profertur.

**Figura.**

Figuræ Pronominum quot ſunt? Duæ. Quæ? Simplex, vt, quis. Compoſita, vt. quiſquis.

Ego



¶Ego cuius figuræ? ſimplicis: quia ſimpliciter profertur. ¶Egomet cuius figuræ? Compoſitæ: quia componitur ab ego, ac met, ſyllabica adiectione.

**Perſonæ.**

Perſonæ pronominum quot ſunt? Tres. Quæ? Prima, vt, ego. Secunda, vt, tu, Tertia, vt, ille.

¶Quid eſt perſona? Eſt modus loquendi de ſe, vt de ſe: ad alium, vt ad alium: de alio, vt de alio. ¶Ego cuius perſonæ? Primæ: quia ſignificat rem de ſe loquentem. ¶Quot ſunt pronomina primæ perſonæ? Vnum, ſcilicet Ego, cum ſuis obliquis. ¶Tu cuius perſonæ? Secundæ: quia ſignificat rem ad quam fit ſermo. ¶Quot ſunt pronomina ſecundæ perſonæ? Vnum, quod eſt, Tu. ¶Ille cuius perſonæ? Tertiæ: quia ſignificat rem de qua fit ſermo. Quot ſunt tertiæ? Alia omnia.

Caſus item pronominũ quot ſunt? Sex. quemadmodum & nominum: per quos omnium generum nomina, pronomina, participia

C

cipia inflectuntur.

¶Quid eſt caſus? Eſt modus caſualium, qui maxime fit in fine. ¶Ego cuius caſus? Nominatiui: quia in tali caſu declinando reperitur. ¶Quot pronomina habent vocatiuũ? Quatuor. Tu, meus, noſter, & noſtras. ¶Quare reliqua pronomina vocatiuo carent? Quia ſermo ad ea non dirigitur.

*Ego primitiuum & demonſtratiuum.* EGo, pronomen finitum, generis omnis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonæ primæ, caſus nominatiui, quod declinabitur ſic: *Ego.* Ego mei vel mis mihi me à me. Et pluraliter, nos noſtrum vel noſtri nobis nos à nobis. Perſonæ ſecundæ, generis omnis, *Tu, demõſtratiuum primitiuũ.* Tu tui vel tis tibi te ô tu à te. Et pluraliter, vos veſtrum vel veſtri vobis vos ô vos à vobis. Perſonæ tertiæ generis omnis, vtriuſq; nume



numeri, ſine nominatiuo & vocatiuo. *Sui.* Sui ſibi ſe à ſe. Et pluraliter, ſui ſibi ſe à ſe. Item relatiuum & demonſtratiuum ſimul. Generis maſculini, *Ille.* Ille illius illi illum ab illo. Et pluraliter, illi illorum illis illos ab illis. Generis fœminini, Illa illius illi illam ab illa. Et pluraliter, Illę illarum illis illas ab illis. Generis neutri, Illud illius illi illud ab illo. Et pluraliter, illa illorum illis illa ab illis. Item minus quam finita. Generis maſculini: *Ipſe.* Ipſe ipſius ipſi ipſum ab ipſo. Et pluraliter, Ipſi ipſorum ipſis ipſos ab ipſis. Generis fœminini, Ipſa ipſius ipſi ipſam ab ipſa. Et pluraliter, Ipſę ipſarum ipſis ipſas

 ab

Cum fuerit

ab ipſis. Generis neutri, Ipſum ipſius ipſi ipſum ab ipſo. Et pluraliter, ipſa ipſorum ipſis ipſa ab ipſis. Generis maſculini, Iſte iſtius iſti iſtum ab iſto. Et pluraliter Iſti iſtorum iſtis iſtos ab iſtis. Generis fœminini, Iſta iſtius iſti iſtã ab iſta. Et pluraliter, Iſtę iſtarũ iſtis iſtas ab iſtis. Generis neutri, Iſtud iſtius iſti iſtud ab iſto. Et pluraliter, Iſta iſtorum iſtis iſta ab iſtis. Item articulare præpoſitiuum vel demonſtratiuum. Generis maſculini, Hic huius huic hunc ab hoc. Et pluraliter, hi horum his hos ab his. Generis fœminini, Hæc huius huic hanc ab hac. Et pluraliter, hæc harum his has





ab his. Generis neutri, Hoc huius huic hoc ab hoc. Et pluraliter, Hæc horum his hæc ab his. Item ſubiunctiuum vel relatiuum, Generis maſculini, Is eius ei eum ab eo. Et pluraliter, Ii eorum eis eos ab eis. Generis fœminini, Ea eius ei eam ab ea. Et pluraliter, Eæ earum eis eas ab eis. Generis neutri, Id eius ei id ab eo. Et pluraliter, Ea eorum eis ea ab eis. Item infinita, Generis maſculini, Quis vel qui cuius cui quem à quo vel à qui. Et pluraliter, qui quorum quis vel quibus quos à quis vel à quibus. Generis fœminini, Quæ vel qua cuius cui quam à qua vel à qui. Et pluraliter, quæ

ab ipſis. Generis neutri, Ipſum ipſius ipſi ipſum ab ipſo. Et pluraliter, ipſa ipſorum ipſis ipſa ab ipſis. Generis maſculini, Iſte iſtius iſti iſtum ab iſto. Et pluraliter Iſti iſtorum iſtis iſtos ab iſtis. Generis fœminini, Iſta iſtius iſti iſtã ab iſta. Et pluraliter, Iſtę iſtarũ iſtis iſtas ab iſtis. Generis neutri, Iſtud iſtius iſti iſtud ab iſto. Et pluraliter, Iſta iſtorum iſtis iſta ab iſtis. Item articulare præpoſitiuum vel demonſtratiuum. Generis maſculini, Hic huius huic hunc ab hoc. Et pluraliter, hi horum his hos ab his. Generis fœminini, Hæc huius huic hanc ab hac. Et pluraliter, hæ harum his has

ab



ab his. Generis neutri, Hoc huius huic hoc ab hoc. Et pluraliter, Hæc horum his hæc ab his. Item ſubiunctiuum vel relatiuum, Generis maſculini, Is eius ei eum ab eo. Et pluraliter, Ii eorum eis eos ab eis. Generis fœminini, Ea eius ei eam ab ea. Et pluraliter, Eæ earum eis eas ab eis. Generis neutri, Id eius ei id ab eo. Et pluraliter, Ea eorum eis ea ab eis. Item infinita, Generis maſculini, Quis vel qui cuius cui quem à quo vel à qui. Et pluraliter, qui quorum quis vel quibus quos à quis vel à quibus. Generis fœminini, Quæ vel qua cuius cui quam à qua vel à qui. Et pluraliter, quæ

 qua

quarum quis vel quibus quas à quis vel à quibus. Generis neutri, Quod vel quid cuius cui quod vel quid à quo vel à qui. Et pluraliter, quæ vel qua quorum quis vel quibus quæ vel qua à quis vel à quibus. Item poſſeſſiua finita, ad aliquid dicta, ex vtraque parte ſingularia, Generis maſculini, Meus mei meo meum ô mi à meo. Et pluraliter, mei meorum meis meos ô mei à meis. Generis fœminini, Mea meæ meæ meam ô mea à mea. Et pluraliter, meæ mearum meis meas ô meæ à meis. Generis neutri, Meum mei meo meum ô meum à meo. Et pluraliter, Mea meorũ meis

Meus.



meis meis ô mea à meis. Generis maſculini, Tuus tui tuo tuum à tuis. Et pluraliter, tui tuorum tuis tuos à tuis. Generis fœminini, Tua tuæ tuæ tuam à tua. Et pluraliter, tuæ tuarum tuis tuas à tuis. Generis neutri, Tuum tui tuo tuum à tuo. Et pluraliter, tua tuorum tuis tua à tuis. Generis maſculini, Suus ſui ſuo ſuum à ſuo. Et pluraliter, ſui ſuorum ſuis ſuos à ſuis. Generis fœminini, Sua ſuæ ſuæ ſuam à ſua. Et pluraliter, ſuæ ſuarum ſuis ſuas à ſuis. Generis neutri, Suum ſui ſuo ſuum à ſuo. Et pluraliter, ſua ſuorum ſuis ſua à ſuis. Item poſſeſsiua finita, ad aliquid dicta

Tuus.

Suus.

dicta, ex vtraque parte pluralia; Generis maſculini, Noſter noſtri noſtro noſtrum ô noſter à noſtro. Et pluraliter, noſtri noſtrorum noſtris noſtros ô noſtri à noſtris. Generis fœminini, Noſtra noſtræ noſtræ noſtram ô noſtra à noſtra. Et pluraliter, Noſtræ noſtrarum noſtris noſtras ô noſtræ à noſtris. Generis neutri, Noſtrum noſtri noſtro noſtrum ô noſtrum a noſtro. Et pluraliter, Noſtra noſtrorum noſtris noſtra ô noſtra à noſtris. Generis maſculini, Veſter veſtri veſtro veſtrum à veſtro. Et pluraliter, veſtri veſtrorum veſtris veſtros à veſtris. Generis fœminini, Veſtra veſtræ veſtræ veſtram

*Noſter.*

*Veſter.*

à ve



à veſtra. Et pluraliter, veſtræ veſtrarum veſtris veſtras à veſtris. Generis neutri, Veſtrum veſtri veſtro veſtrum à veſtro. Et pluraliter, veſtra veſtrorum veſtris veſtra à veſtris. Da horum compoſita, vt, Egomet, tuimet, ſuimet, ſibimet, illic, iſtic, illiccine, iſticcine, hiccine, hæccine, hoccine. Idem in maſculino genere productum, in neutro vero correptum. Quiſquis, quiſnam, quiſpiam, aliquis.

¶ *Ego quotæ declinationis? Primæ.* ¶ *Quot ſunt pronomina primæ declinationis? Tria, ego, tu, ſui: quia mittunt genitiuum in i vel in is.* ¶ *Ille quotæ declinationis? Secundæ. Quot ſunt pronomina ſecundæ declinationis? Quinque. Ille, ipſe, iſte, hic, is: quia mittunt genitiuum in ius.* ¶ *Meus quotæ de*

*Declinati*

tæ declinationis? Tertiæ. ¶Quot ſunt pronomina tertiæ declinationis? Quinque. Meus, tuus, ſuus, noſter & veſter: quia mittunt genitiuum ſingularem in formam adiectiuorum nominum in i, æ, i. ¶Noſtras quotæ declinationis? Quartæ. ¶Quot ſunt pronomina quartæ declinationis? Duo. Noſtras & veſtras: quia mittunt genitiuum in tis, vt noſtras noſtratis.

## DE VERBO.

VERbum quid eſt? Pars orationis, cum tempore & perſona, ſine caſu, aut agere, aut pati, aut neutrum ſignificans.

¶Quo iudicio habes, quæ dictio ſit Verbi partis? Quælibet dictio latina, cui commode in vulgari lingua adijcitur, ich, du, der, Er, eſt Verbum. ¶Qua cauſa ſequitur verbum nomen & pronomen? Quia nomen & pronomen ſine verbo non efficiunt integram ſententiam. ¶Vnde dicitur verbum? A verberando, eo quod verberatu aeris plectroque

linguæ



linguæ vox formetur. ¶Quid intereſt inter nomen & verbum? Nomen dicit ipſam perſonam: verbum vero dicit factum dictumue perſonæ. Præterea verbum tempus habet, caret autem caſibus: nomen contra caſus habet, non tempus. ¶Quottuplex eſt verbum? Duplex. Perſonale & imperſonale. ¶Quid eſt verbum perſonale? Quod per tres diſtinctas perſonas coniugatur. ¶Quid eſt verbum imperſonale? Quod non iuxta tres perſonas variatur. ¶Quottuplex eſt verbum perſonale? Quadruplex. Subſtantiuum, vocatiuum, trāſitiuum & abſolutum. ¶Quid eſt verbum ſubſtantiuum? Quod nec actionem nec paſſionem, ſed ſubſtantiam ſignificat, vt, ſum & fio. Quid eſt verbum vocatiuum? Cuius actio maxime per propria nomina ſpecificatur; vt, nuncupor, appellor, nominor, dicor, vocor. ¶Quid eſt verbum tranſitiuū? Quod in aliquem caſum fertur, diuerſum ab eo, qui ipſum præceſſit: vt, amo Deum. ¶Quid eſt verbum abſolutum? Quod perfectam ſententiam facit, ſine obliquis, vt ſto, curro, pendeo. ¶Quottuplex eſt verbum imperſonale? Duplex. Actiuæ vocis & paſſiuæ vocis. ¶Quid eſt verbum imperſonale actiuæ vocis?

Quod

*Quod deſinit in t: & coniugatur more verbi actiui, tantum in tertijs perſonis ſingularibus: vt, iuuat, tædet, conducit, incipit. ¶Quid eſt verbum imperſonale paßiuæ vocis? Quod deſinit in tur, & coniugatur tantum in tertia perſona, more verbi paßiui: vt, itur, curritur.*

**Accidentia** Verbo quot accidunt? Septem. Quæ? Qualitas, coniugatio, genus, numerus, figura, tempus & **Qualitas.** perſona. Qualitas verborum in quo eſt? In modis & in formis. Modi qui ſunt? Indicatiuus, vt, lego. Imperatiuus, vt, lege. Optatiuus, vt, vtinam legerem. Coniunctiuus, vt, cum legam. Infinitiuus, vt, legere. Imperſonalis, vt, legitur.

*¶Amo cuius qualitatis? Verbum habet pro qualitate modum & formam. ¶Modi verborum quot ſunt? Quinq;. Indicatiuus, Imperatiuus. Optatiuus, Coniunctiuus, & Infinitiuus. ¶Quare omittis modum imperſonalem, quem ponit Donatus: Quia cum verbum imperſonale modos habet vt perſonale, inde ab alijs inter modos non locatur. ¶Quare dicuntur modi? Quia ſunt diuerſæ inclinationes animi, varios eius affectus demonſtrantes. Quorſum conducunt? Ad vertendam ſubinde locutionem, in qua verbum eſt potißima pars ad ipſos affectus exprimendos. ¶Amo cuius modi? Indicatiui: quia per eum indicamus quid actum ſit aut agatur à nobis aut ab alijs.* **Indicatiuus** *¶Amo cuius modi? Imperatiui: quia per eum imperamus alijs, vt faciant aliquid aut patiantur.* **Imperatiuus.** *¶Quare hic modus ſolum præſenti & futuro vtitur? Quia de his rebus, quas nunc fieri volumus, vel in præſenti, vel in futuro tantum imperare poſſumus. Abſurdum enim eſſet in præterito aliquid imperare. ¶Quare deficit prima perſona in ſingulari? Quia omnino ridiculum eßet ſibi ipſi quenquam imperare, cum ſua quæ ſunt, promptus ſit ſponte facere? Imperio itaq; tantum externæ indigent perſonæ. ¶Cur autem in plurali tres adhibentur perſonæ? Quia prima perſona cum alijs ſe confert, & cum imperat, ſe quoq; in id miniſterium vocat: eſt igitur*



hor

hortandi non imperandi perſona. ¶ Amarem
cuius modi? Optatiui: quia eget aduerbio o-
Optatiuus. ptandi, vt perfectum ſenſum ſignificet: vt,
vtinam amarem. ¶ Quæ ſunt optatiui ſigna?
Vtinam ô ſi, quam, & ſi quæ ſunt aduerbia
optandi alia. ¶ Amem cuius modi? Coniun-
Coniuncti- ctiui, quia ipſi alterum verbum ſemper con-
uus. iungimus vel ſubiungimus, vt perficiat ſenſum:
vt, cum promiſero, veniam. ¶ Quæ ſunt ſi-
gna coniunctiui, Dum, cum, ſi, quin, niſi, &
pauca alia. ¶ Amare cuius modi? Infinitiui:
quia perſonis & numeris deficit, & eget ſem-
Infinitiuus. per vno aliquo ex quatuor de iſtis modis, vt
ſignificet aliquid perfectum. ¶ Legitur cuius
modi? Imperſonalis: quia indiget vel nominis
vel pronominis perſona, vt, Legitur: adden-
dum vel à me, vel à Socrate.

Forma, id eſt ſpecies. Formæ verborum quot ſunt?
Quatuor. Quæ? Perfecta, vt, le-
go. Meditatiua, vt, lecturio. Fre-
quentatiua, vt, lectito. Inchoati-
ua, vt, feruesco, caleſco.

¶ Amo cuius formæ? Perfectæ: quia à
nullo deriuatur. ¶ Quomodo hic differunt for-
ma



ma & ſpecies? Nihil. Nam forma nihil aliud
eſt, quam ſpecies, id eſt, origo verbi, an ſci-
licet verbum vel primitiuum vel deriuatiuum,
perfectum vel imperfectum, id eſt, ſuæ vel a-
lienæ originis ſit. ¶ Quid eſt ergo forma? Eſt
diuerſa verborum ſpecies. ¶ Ad quid condu-
cunt verborum formæ? Ad orationis concinni-
tatem & breuitatem, ne quod paucis verbis e-
loquendum ſit, ridicule multis conemur.
¶ Eſurio cuius formæ? Meditatiuæ: quæ in
rio deſinens ſignificat meditationem, ſeu po-
tius deſiderium cum primitiuo: vt, eſurio,
id eſt, cupio edere, vel meditor edere. ¶ Le-
ctito cuius formæ? Frequentatiuæ: quia in to,
ſo, xo, deſinens, ſignificat frequentiam actus
ſui primitiui: vt, agito, curſo, uexo. ¶ Ca-
leſco cuius formæ? Inchoatiuæ: quia in ſco de-
ſinens ſignificat initium actus vel paſſionis ſui
primitiui: vt, caleſco, id eſt, incipio calere.
¶ Habent ne ſingula verba has ſpecies? Non:
neq; enim hæ verborum formæ à quolibet ver-
bo deſcendunt.

Perfecta, id eſt, primitiua, vnde reliquæ cadunt.

Cõiugatio.

Coniugationes verborũ quot
ſunt? Tres. Quæ? Prima i[…]a,
Secu[…]

*Prima.* Secunda in e, Tertia in i. Prima quæ eſt? Quæ in indicatiuo modo, tempore præſenti, numero ſingulari, ſecunda perſona, verbo actiuo & neutrali a productam habet ante nouiſsimam literam s. Paſsiuo, communi & deponen[ti] ante nouiſsimam ſyllabam ri[s]: vt, amo amas, amor amaris. Et futurum tempus eiusdem modi in bo & in bor ſyllabam mittit: vt, amo amabo, amor amabor.

*Secunda.* Secunda quæ eſt? Quæ in indicatiuo modo tempore præſenti, numero ſingulari, ſecunda perſona, verbo actiuo & neutrali e productam habet ante nouiſsimam literam s. Paſsiuo communi & deponen

ponen



ponenti ante nouiſsimam ſyllabã ris: vt, doceo doces, doceor doceris. Et futurum tempus eiuſdem modi in bo & in bor ſyllabam mittit: vt, doceo docebo, doceor docebor. Tertia quæ eſt? Quæ in *Tertia.* indicatiuo modo, tempore præſenti, numero ſingulari, ſecunda perſona, verbo actiuo & neutrali i correptam, vel i productam habet ante nouiſsimam literam s. Paſsiuo communi & deponenti pro i litera e correptam, vel i productam habet ante nouiſsimam ſyllabam ris: vt, lego legis, legor legeris: audio audis, audior audiris. Et futurum tempus eiuſdem modi in am & in ar ſyllabam mit-

rit: vt, lego legam, legor legar: audio audiam, audior audiar. Vbi poſſunt hæc diſcerni? Hæc in Imperatiuo & in Infinitiuo modo ſtatim diſcerni poſſunt, vtrum i literam correptam habeant, an productam. Nam i litera correpta ſi fuerit, in e conuertitur, producta ſi fuerit, non mutatur. Eſt quando tertia coniugatio futurum tempus non in am tantum, ſed etiam in bo & in bor ſyllabam mittit, Interdum cum i literam correptam non habuerit: ſed productam: vt, eo is ibo: queo quis quibo, eam vel queam.

*Coniugatio.* ¶ *Quid eſt Coniugatio? Eſt conueniens verborum declinatio per tempora & modos.* ¶ *Vnde dicitur coniugatio? A coniungendo: Quod*



*Quod vna eademq; ratione declinationis plurima verba per eam coniunguntur. Quottuplex eſt coniugatio? Duplex. Conſequens & Inconſequens. Quid eſt coniugatio Conſequens? Eſt eorum verborum, quæ ſub vno iugo flectuntur.* ¶ *Quid eſt coniugatio Inconſequens. Eſt eorum verborum, quæ inconſequenter & irregulariter flectuntur. Quottuplex eſt coniugatio conſequens? Quadruplex: Prima tenet a productam, ſecunda e productàm, tertia e correptam, quarta i productam.* ¶ *Quare autem Donatus ponit ſolum tres coniugationes? Quia tertiam diuidit in tertiam breuem, & tertiam longam, quam nos quartam vocamus.* ¶ *Amo cuius coniugationis? Primæ: quia habet a longum ante re in infinitiuo in voce actiua, vt amare.* ¶ *Amor cuius coniugationis? Primæ: quia habet a longum ante ris in ſecunda perſona præſentis indicatiui in voce paſſiua, vt amaris.* ¶ *Doceo cuius coniugationis? Secundæ: quia habet e longum ante re in infinitiuo in voce actiua, vt docere.* ¶ *Doceor cuius coniugationis? Secundæ: quia habet e longum ante ris in ſecunda perſona præſentis in voce paſſiua, vt doceris.* ¶ *Lego cuius coniugationis?*

*Tertiæ: quia habet e breue ante re in infinitiuo in voce actiua, vt legere.* ¶ *Legor cuius coniugationis? Tertiæ: quia habet e breue ante ris in ſecunda perſona præſentis indicatiui in voce paßiua, vt legeris.* ¶ *Audio cuius coniugationis? Quartæ: quia habet i longum ante re in infinitiuo in voce actiua, vt audire.* ¶ *Audior cuius coniugationis? Quartæ: quia habet i longum ante ris in ſecunda perſona præſentis indicatiui in voce paßiua, vt audiris.* ¶ *Quomodo diſtinguuntur à coniugatione verba? Quædam ſunt anomala, quædam ſunt regularia, quædam plena, quedam defectiua.* ¶ *Quæ ſunt anomala? Quæ non ſecundum communem verborum formam declinantur: vt, ſum, volo, fero.* ¶ *Quæ ſunt regularia? Quæ ſecundum communem formam verborum declinantur: vt, amo, doceo.* ¶ *Quæ ſunt plena verba? Quæ non deficiunt neq; perſonis, neq; modis, neq; numeris: vt, amo, doceo.* ¶ *Quæ ſunt defectiua? Quæ deficiunt vel numeris, vel perſonis, vel modis: vt, aiunt, noctéſcit, dieſcit, & ſimilia exceptæ actionis: vt, fore, faxo.*

Genera verborum quot ſunt? Quinq;. Quæ? Actiua, paſsiua, neutra, deponentia, & communia. Actiua quæ ſunt? Quæ in o deſinunt, & accepta r litera, faciunt ex ſe paſsiua: vt, lego, legor. Paſsiua quæ ſunt? Quæ in r deſinunt, & ea dempta redeunt in actiua: vt, legor lego. Neutra quæ ſunt? Quæ in o deſinunt, vt actiua: ſed accepta r litera, latina non ſunt, vt, ſto, curro: nam ſtor, curror, non dicitur. Sunt præterea neutro paſsiua: vt, gaudeo gaudes, gauiſus ſum: ſoleo ſoles, ſolitus ſum: fio fis, factus ſum: mœreo mœres, mœſtus ſum. Deponentia quæ ſunt? Quæ in r ſimiliter deſinunt, vt paſsiua,

*Actiua.* *Paßiua.* *Neutra.* ¶ *Neutr paßiua.* *Deponentia.*

 ſed

ſed ea dempta, latina non ſunt, vt luctor, loquor, ſequor, naſcor, & orior. Communia quæ ſunt? Quæ in r ſimiliter deſinunt, vt deponentia, ſed in duas formas cadunt, agentis & patientis, vt, oſculor, criminor. Dicimus enim oſculor te, & oſculor à te: criminor te, & criminor à te.

**Cõmunia.**

*¶Quid eſt genus verbi? Nihil aliud eſt,*
*quam ſignificatio verbi, quid quodq; verbum*
*ſignificet. ¶Quottuplex eſt ſignificatio? Du-*
*plex. Actiua & Paſsiua. ¶ Actiua quid eſt?*
*Qua verbum regit poſt ſe accuſatiuum homi-*
*nis, vt amo parentes. ¶Quid eſt Paſsiua?*
*Quæ habet poſt ſe ablatiuum hominis, cum à*
*vel ab præpoſitione, vt amor à parentibus.*
*¶Qui autem dignoſcitur genus verbi? Ex ſi-*
*gnificatione, terminatione & conſtructione.*
*Omnia enim verba perfectam habentia decli-*
*nationem & æqualem, in o vel in or deſinunt:*
*in o duas habent formas, actiuam ſcilicet &*
*neu*



*neutralem: in or vero, paßiuam, deponentalem & communem.*

Numeri verborum quot ſunt? Duo. Qui? Singularis, vt, lego. Pluralis, vt, legimus.

**Numerus.**

Figuræ verborum quot ſunt? Duæ. Quæ? ſimplex, vt, lego. Compoſita, vt, negligo.

**Figura.**

Tempora verborum quot ſunt? Tria. Quæ? Præſens, vt, lego. Præteritum, vt, legi. Futurum, vt, legam. Quot ſunt tempora in declinatione verborum? Quinq;. Quæ? Præſens, vt, lego. Præteritum imperfectum, vt, legebam. Præteritum perfectum, vt, legi. Præteritum pluſquamperfectum, vt, legeram. Futurum, vt, legam.

**Tempus.**

¶Quid eſt tempus? Eſt cum in verbo quæritur, quando quid factum aut dictum ſit. Accidit autem verbo ad diuerſi actus ſignificationem accõmodatum. ¶Amo cuius temporis? Præſentis: quia præſens tempus deſignat. Rem enim nunc eſſe vel fieri, præſens tempus deſignat. ¶Amabam cuius temporis? Præteriti imperfecti: quia rem fuiſſe inceptã ſignificat nondum tamen perfectam. ¶Amaui cuius temporis? Præteriti perfecti: quia rem perfecte actam ſignificat. ¶Amaueram cuius temporis? Præteriti plusquamperfecti: quia rem perfectam diutiſe præteriiſſe ſignificat. ¶Amabo cuius temporis? Futuri: quia rem futuram eſſe ſignificat.

Perſona. Perſonæ verborum quot ſunt? Tres. Quæ? Prima, vt, lego. Secunda, vt, legis. Tertia, vt, legit.

¶Quid eſt perſona? Eſt rationalis ſubſtantia, qua ſermo exercetur. ¶Quid eſt prima perſona? quæ loquitur, & cui additur pronomen primæ perſonæ. ¶Quid eſt ſecunda perſona? Cui loquimur, & cui additur pro-



pronomen ſecundæ perſonæ. ¶Quid eſt tertia perſona? De qua fit ſermo, & cui additur pronomen vel nomen tertiæ perſonæ. ¶Amo cuius perſonæ? Primæ: quia attribuitur rei de ſe loquenti. ¶Amas cuius perſonæ? Secundæ: quia attribuitur rei ad quam fit ſermo. ¶Amat cuius perſonæ? Tertiæ: quia attribuitur rei de qua fit ſermo.

## DE ADVERBIO.

ADuerbium quid eſt? Pars orationis, quæ adiecta verbo, ſignificationem eius explanat atq; implet.

¶Quare poſt Verbum mox ſequitur Aduerbium? Quoniam nunquam à verbo recedit: Aduerbium enim ſine verbo nunquam ponitur: ſed verbum ſine aduerbio ſæpe: quia verbum non vbiq; indiget aduerbio: aduerbium vero nunquam non indiget verbo. Vnde

¶Vnde dicitur aduerbium? Ab ad, id eſt, iuxta, & verbum: quia iuxta verbum ponitur, vt declaret eius ſignificationem. ¶Quomodo id fit? Quia verbum ſignificat ipſam rei actionē, vt amare, viuere, hanc adiecto aduerbio explanamus & implemus, hoc eſt, perfectius exprimimus, vt pudice amare, & bene viuere. ¶Quis eſt vſus aduerbij? Vt perficiendæ & ornandæ ſignificationis, cauſa, vel verbo, vel alteri parti addatur. ¶ Vnde deriuantur aduerbia? Sunt aduerbia, quæ à ſe naſcuntur, & dicuntur primitiua, vt clam. Sunt aduerbia, quæ ab alijs veniunt, & dicuntur deriuatiua, vt clanculum. ¶ Vnde veniunt aduerbia deriuatiua? A nomine proprio & appellatiuo, vt Homerice, feliciter. A pronomine, vt huc. A verbo, vt ſenſim, curſim. A nomine & verbo, vt pedetentim. A participio, vt negligenter. A præpoſitione, vt intro. ¶ Penes quid aduerbia dignoſcuntur? Ex Donati enumeratione fideli, ac vſu quotidiano depræhenduntur.

Aduerbio quot accidunt? Tria. Quæ? Significatio, comparatio, & figura. Significatio aduerbiorum in quo eſt? Quia ſunt aduerbia aut loci, aut temporis, aut numeri, aut negandi, aut affirmandi, aut demonſtrandi, aut optandi, aut hortandi, aut ordinis, aut interrogandi, aut ſimilitudinis, aut qualitatis, aut quantitatis, aut dubitandi, aut perſonalia, aut vocandi, aut reſpondendi, aut ſeparandi, aut iurandi, aut eligendi, aut congregandi, aut prohibendi, aut euentus, aut comparandi.

*[margin: ccidentia]*

*[margin: Significatio atq; adeo ipſa aduerbij natura.]*



¶Hodie cuius ſignificationis? Temporis: quia per ipſum tempus ſignificamus. ¶ Significationes aduerbiorum quot ſunt? Ignoratur numerus: neq; enim omnes ponit Donatus.

Da aduerbia loci? vt, hic vel

vel ibi, illic, inde, intro, vel foras.

Da temporis? vt, hodie, heri, nunc, nuper, cras, aliquando, olim, iam, tunc, cum, dum, mane, modo, ſero, ſemper.

¶ *Quæ à Grammaticis his adijciuntur?* *Modo, pridem, iampridem, dudum, iamdudum, iamdudum ætatem, iaminde, iamolim, olimiam, quondam, diu, iamdiu, & tamdiu, diu noctuq́;, dies & noctes, interdiu, aliquandiu, ante hac, poſt hac, antea, poſtea, nudius tertius, nudius quartus, perendie, pridie, poſtridie, meridie, quotidie, indies, & in diem, quot menſibus, quotannis, veſperi, diluculo, crepuſculo, æſtate, hyeme, quando. ſiquando, nequando, pauliſper, aliquantiſper, tantiſper, nondum, necdum, tum quouſq́;, vſq́;quo, interea, & interim, dehinc, exinde, deinde, mox, illico, propediem, confeſtim, ſtatim, actutum, quampri-mum, extemplo, poſt, poſtquam, poſteaquam*



*quam, vt ſimulac, tandem, paucis poſt diebus, raptim, ſaltim, curſim, ſubito, repente, cito, celeriter, deinprouiſo, derepente, protinus, continuo, vbiuis, vnquam, nunquam, nonnunquam, interdum, temporis punctum, interea loci, dictum, factum.*

Da numeri? vt, ſemel, bis, ter, quater.

¶ *Et quæ ad hanc ſignificationem pertinent ſimilia: Numeralia ſcilicet, iterum, ſexies, nonies, decies, vicies, tricies, octogies, nonagies, centies, ducenties, trecenties, quadringenties, & vſq́; ad milies, quoties, toties, aliquoties, duntaxat, plerunq́;, ſæpe, ſæpenumero, & ſæpius, ſubinde, adde, bifariam, trifariam, multifariam, ſimpliciter, dupliciter.*

Da negandi? vt, haud, non neque.

¶ *Quæ ſunt his addenda?* Parum, *ſecus, minime, minime gentium, nequaquam, & nullus pro neutrum, quam falſo, nihil, vt non, vt ne, vt ni, quo non, nullo modo, minus, fabulæ, logi, ſomnia, nec, ne, nullatenus.*

Da

Da affirmandi? vt, etiam, quidni certè.

¶ Quæ ſunt his ſimilia? Næ, ita, ita eſt, ſic, ſic eſt, ſic erit, hoc ipſum, iſtuc ipſum, recte, ſane, probe, rectiſsime, planiſsime, veriſsime, maxime, ita ſcilicet, ſane, quidem, niſi, cur, non, nempe, quippe, vtpote, profecto, ſcilicet, videlicet, plane, licet, illicet, nimirum & mirum, quid iſtic, quid iſtuc.

Da demonſtrandi? vt, en, ecce.

¶ Quæ ſunt huic ſignificationi ſimilia? Ecce autem, ellum, ellam, ellum, ellos, ellas, eccum, eccam, eccum.

Da optandi? vtinam, o ſi.

¶ Quæ ſunt his ſimilia? O vtinam, ô vt, vel vti: Idem enim ſunt, ſi & ſi, quam ſi, nunc, ah, och, optato aduenis, precario, quid ſi.

Da hortandi? vt, eia, age.

¶ Quæ ſunt his addenda? Eia, agite, agedum, agitedum, euge, nonnunquam & dum



vel, coniunctio dum ſignificat etiam, vel oculum exculpe, vel hoc quis non credat?

Da prohibendi? vt, ne.

¶ Da ſimilia? Nam, Ne, coniunctio corripitur, neue & neu per Apocopen.

Da euentus? vt, forte, fortuito.

¶ Quæ ſunt his ſimilia? Forte fortuna, caſus, fato, fataliter, virgula diuina, forte.

Da comparandi? vt, magis, minus, vel tam, quam maximum, minimum.

¶ Quæ ſunt his ſimilia? Plus, doctius, melius, potius, & omnes comparatiui aduerbiales à nominum neutro genere tranſpoſiti in us.

¶ Sunt ne aliæ ſignificationes aduerbiorum? Sunt: vt, ſuperlatiua, intendendi, remittendi, diminutiua: præcandi, excludendi, concedendi.

¶ Da ſuperlatiua? vt, maxime, prudentiſsime, doctiſsime, elegantiſsime, optime: perſæpe in ſeum: vt, potiſsimum. ¶ Da intendendi? vt, ſcæum: vt, nimis, nimium, nimio, nimis quam, prorſus prorſum, omnino, mordicus, protinus, ſat & ſatis, neceſſario, neceſſe eſt, penitus, funditus. ¶ Da remittendi? vt, vix, fere, pene, ægre, paula

*paulatim, prope, ſenſim, pedetentim, & ſuſpenſo gradu, paßim, placide, ſponte, impune, propemodum, furtim, clam, vellicatim ¶ Da diminutiuas? vt, clanculum, belle, perbelle, duriuſcule, longiuſcule, meliuſcule. ¶ Da precandi? vt, ſodes, amabo, penultima breui, quæ & interiectiones dicimus. ¶ Da excludendi? vt, tantum, tantummodo, duntaxat, ſolum, pax. ¶ Da concedendi? vt, eſto, ſane.*

*¶ Comparatio.*

Comparatio aduerbiorum in quo eſt? In tribus gradibus comparationis: ſcilicet, poſitiuo, comparatiuo, & ſuperlatiuo. Da aduerbia poſitiui gradus: vt, docte. Da comparatiui gradus: vt, doctius. Da ſuperlatiui gradus: vt, doctiſsimum vel doctiſsime.

*¶ Comparatur ne hodie? Non: quia non deſcendit à nomine comparabili. ¶ Comparatur ne docte? Etiam: quia deſcendit à nomine adiectiuo comparabili: vt, docte, doctius, doctißimum vel doctißime.*

Figu



Figuræ aduerbiorũ quot ſunt? *Figuræ.* Duæ. Quæ? Simplex, vt, docte, prudenter. Compoſita: vt, indocte, imprudenter. Aduerbia localia ſunt hæc: vel in loco, vel de loco, eandem ſignificationem habent: vt, intus ſum, intus exeo: foris ſum, foris venio. Ad locum aũt, & per locum aliam ſignificationé habent: vt, intro eo, foras exeo. Deintus autem & deforis ſic non dicitur: Quomodo nec dicimus, ad foras, vel in foras. Per locum autem, vt, hac, illac, iſtac.

*¶ Aduerbia localia quot habent differentias? Quatuor: In loco, de loco, ad locum, per locum ¶ Da aduerbia loci? In loco ſignificant: vt, hic, illic, iſtic, intus, foris, ibi, ibidem, alibi, alicubi, ſicubi, necubi, vbi, vbiq;, vbilibet, vbicunq;, ſuperius, inferius, primo, ſecun* *In loco.*

ſecundo, tertio, quarto, ſupra, infra, vbiuis, longe, prope, procul, vbiubi, vbiq; gentium, penitus, vſquam, nuſquam, coram, præſto, peregre. Romæ, Lipſiæ, Norimbergæ, Auguſtæ, Carthagini: Venetijs, belli, militiæ, domi, ruri. ¶Da aduerbia quæ ſignificant de loco? vt, hinc, iſtinc, illinc, intus, foris, ſicunde, necunde, vndiq;, alicunde, vndecunq;, vtrinq;, ſuperne, inferne, cœlitus, funditus, radicitus, vnde, vndelibet, vndeuis, inde, peregre, ibidem, aliunde, ſtirpitus, diuinitus, humanitus, eminus, cominus, pone Tarento, Mantua, profectus eſt: Norimberga diſceſsit. ¶Da aduerbia quæ ſignificant ad locum? Huc, illuc, iſtuc, eo, quo, aliquo, ſiquo, quocunq;, intro, foras, nuſquam, nequo, vtroq;, quoquo, quouis, quouis gentium, quorſum, aliquorſum, deorſum & deorſum verſus, vel verſum, ſurſum & ſurſum verſus, dextrorſum, vel dextrouerſum, ſiniſtrorſum, vel leuorſum, horſum, vel horſum uerſum, iſtrorſum, illorſum, nequorſum, vtroque verſus, quoquouerſum, aliorſum, vſquam, nuſquam, vltro, citroq;, quouſq;, vel vſquequo, hactenus, quatenus, eatenus, hucuſq;, iſtucuſq;, eouſq;, vſq;, Miletum vſq; proceſsit. ¶Da aduerbia quæ ſignificant per locum

De loco.

Ad locum.





cum: vt, hac, illac, iſtac, nequa, ſiqua, aliqua, vtraq;, quaq;, ea, eadem, qua, quacunq;, alia, recta.

## DE PARTICIPIO.

PArticipium quid eſt? Pars orationis, partem capiens nominis, partemq; verbi. Recipit enim à nomine genera & caſus: à verbo tempora & ſignificationes: ab vtroq; numerum & figuram.

¶Quomodo ſe habet participium ad verbum & nomen? Ceu medium quiddam: nam & caſus habet ſicut nomina, & tempora conſtructionemq; ſicut verba, vnde etiam præteritum paſsiui ſupplet. ¶Vnde dicitur participium? A partem capiendo: quoniam partem capit nominis, partemq; verbi, & partem ab vtroq;. ¶Vnde dignoſcitur participium? Ex terminatione & eius ſignificatione. ¶Quot ſunt terminationes participiorum? Septem:

*Ans: vt, amans Ens: vt, legens. Tus, vt lectus. Sus, vt, viſus. Xus: vt, pexus. Rus: vt, cantaturus. Dus: vt, amandus. Mortuus, ſingulare eſt.*

**Accidentia**

Participio quot accidunt? Sex. Quæ? Genus, caſus, tempus, ſignificatio, numerus & figura.

**Genus.**

Genera participiorum quot ſunt? Quatuor. Quæ? Maſculinum: vt, hic lectus. Fœmininum: vt, hæc lecta. Neutrum: vt, hoc lectum. Omne: vt, hic & hæc & hoc legens.

**Caſus.**

Caſus participiorũ quot ſunt? Sex. Qui? Nominatiuus, vt hic & hæc & hoc legens. Genitiuus, vt huius legentis. Datiuus, vt huic legenti. Accuſatiuus, vt, hunc & hanc legentem, & hoc legens. Vocatiuus, vt, ô legens. Ablatiuus, vt, ab hoc



hoc & ab hac & ab hoc legente vel legenti. Tempora participiorum quot ſunt? Tria. Quæ? Præſens, vt legens. Præteritum, vt lectus. Futurum, vt lecturus vel legendus.

**Amans.**

*¶ Amans cuius temporis? Præſentis & præteriti imperfecti. ¶ Quæ participia ſunt præſentis & præteriti imperfecti temporis. Omnia quæ deſinunt in ns, vt amans, legens. ¶ Quomodo exponuntur? Per verbum præſentis temporis & præteriti imperfecti, & qui, quæ, quod, vt amans, qui amat vel qui amabat.*

**Amatus.**

*¶ Amatus cuius temporis? Præteriti perfecti, & pluſquamperfecti. ¶ Quæ ſunt præteriti perfecti & pluſquamperfecti temporis? In tus, ſus, xus, omnia. Quomodo exponuntur? Per præteritum paſſiuum perfectum & pluſquamperfectũ, & qui, quæ, quod: vt, amatus, qui eſt vel fuit vel qui amatus erat vel fuerat.*

**Amaturus.**

*¶ Amaturus cuius temporis? Futuri. Quæ ſunt futuri tẽporis? Omnia in rus & in dus. Quomodo differunt? In rus actiue & neutraliter ſignificant?*

eant? In duo vero paßiue. ¶Quomodo expo-
nuntur participia futura in rus? Per verbum
actiuum futuri temporis, & qui, quæ, quod: vt,
amaturus, qui amabit. ¶ Quomodo exponun-
tur participia futura in dus? Per verbum futu-
rum paßiuæ vocis, & qui, quæ, quod: vt, a-
mandus, id eſt, qui amabitur. ¶Quare inuen-
*Participia cur inuenta.* ta ſunt participia, cum tamen idem per verbũ
poßimus præſtare? Maxime ob orationis con-
cinnitatem & breuitatem, ne tot relatiuis, cõ-
iunctionibus nobis opus ſit, & ne eadem ſemper
ſit orationis facies. ¶ Exponuntur ne aliter
participia? Maxime. Nam per relatiuum, qui,
quæ, quod, eſt vulgaris expoſitio, ſed interim
reſoluuntur in ſua verba, & dum vel vt, poſtq̃,
vel &, vel quoniam, vel cum, & ſimilia: vt,
præceptore legente diſcunt diſcipuli, id eſt, dũ
*Formatio.* legit præceptor. ¶ Vnde formantur participia
in ns? A præterito imperfecto verbi ſui, bam
vel bar in ns conuerſo: vt, legebam, legens,
oſculabar, oſculans. Præter ibam iens: quibã
quiens: vbi bam non mutatur in ns. ¶ Vnde
formantur participia in tus, ſus, xus? Ab vltimo
ſupino verbi, addendo s: vt, amatu, amatus:
pexu pexus: viſu viſus. ¶ Vnde formantur par-
ticipia in rus? Ab eodẽ vltimo ſupino, addendo
rus:



rus: vt, amatu amaturus: viſu viſurus. ¶ Vnde
formantur participia in dus? A genitiuo ſingu-
lari participiorum in ns, tis in dus conuerſo:
vt, amantis amandus.

*Significatio.*

Significationes participiorum
in quo ſunt? Quia ab actiuo verbo
duo participia veniunt, præſens &
futurum, vt legens, lecturus. A paſ-
ſiuo quot? Duo. Præteritum & fu-
turum: vt, lectus, legendus. A neu-
tro quot? Duo, ſicut ab actiuo,
Præſens & futurum, vt, ſtans, ſta-
turus. A deponenti quot? Tria.
Quæ? Præſens, præteritum & fu-
turum: vt, loquens, locutus, & lo-
cuturus. A communi quot? Qua-
tuor: Quæ: præſens, præteritum, &
duo futura: vt, criminās, crimina-
tus, criminaturus, & criminandus.
Quid

¶ Quid eſt ſignificatio in participio? Id quod genus in verbo. ¶Quot ſunt ergo ſignificationes participiorum? Quinq;: Actiua, paßiua, neutra, deponens & communis. ¶Quæ participia ſunt ſignificationis actiuæ? Quæ à verbis actiui generis deſcendunt ¶Quot participia deſcendunt ab actiui generis verbo? Duo, Præſens, in ns. & futurum in rus. ¶Quæ participia ſunt ſignificationis paßiuæ? Quæ à verbis paßiui generis deſcendunt. ¶Quot participia deſcendunt à verbis paßiui generis? Duo: Præteritum in tus vel xus vel ſus: & futurum in dus. ¶Quæ participia ſunt ſignificationis neutralis? Quæ à verbis neutri generis deſcendũt. ¶Quot participia deſcendunt à verbis neutri generis? Duo: Præſens, in ns, & futurũ in rus. ¶Quæ neutra habent quatuor participia? Quæ habent paßiuum in tertia perſona, vt, ſemino, aro, tundo: arans, araturus aratus & arandus. ¶Quæ neutra habent tria participia, ſcilicet, præſens, præteritum & futurum in rus? Prandeo, cœno, mœreo, nubo, iuro, quieſco, placeo, pateo, titubo, gaudeo, fido, ſoleo, audeo aſſueſco: vt, prandens, pranſus, pranſurus. ¶Quæ participia ſunt ſignificationis deponentis? Quæ à verbis deponẽtis generis

deſcen



deſcendunt. A deponentibus verbis quot deſcendunt participia? Tria, Præſens in ns, præteritum in tus, & futurum in rus: vt, ſequens, ſecutus, ſecuturus. ¶Quæ deponentia habent quatuor participia? ¶Quæ fuerunt olim communia: vt, loquẽdus, vtendus, ſequendus. ¶Quæ participia ſunt ſignificationis communis? Quæ à verbis communis generis deſcendunt. ¶Quot participia deſcendunt à verbis communis generis? Quatuor: Præſens, præteritum, & duo futura, in rus & in dus, largiens, largitus, largiendus, largiturus. ¶Quomodo differunt? In ns & rus ſignificant tantum actiue. In dus tantum paßiue: præteriti autem temporis ſignificant actiue & paßiue: vt, largitus, qui donauit, & qui donatus eſt.

Numerus.

Numeri participiorum quot ſunt? Duo. Qui? Singularis: vt, hic legens. Pluralis: vt, hi legentes.

Figura.

Figuræ participiorum quot ſunt? Duæ. Quæ? Simplex, vt legens. Compoſita, vt, negligens.

Amans

*¶ Amans cuius numeri? Singularis: quia ſingulariter profertur. ¶ Amantes cuius numeri? Pluralis: quia pluraliter profertur. ¶ Amans cuius figuræ? Simplicis: quia ſimpliciter profertur. ¶ Deamans cuius figuræ? Decompoſitæ: quia à compoſito deriuatur, quod eſt deamo. Omne enim quod deriuatur à compoſito, dicitur decompoſitum. ¶ Quid eſt deſito, dicitur decompoſitum. ¶ Quid eſt declinatio participiorum? Participia omnia ad declinationes nominum pertinent, declinantur enim ſicut illa. ¶ Amans eſt tertiæ declinationis, & omnia participia in ns, alia in us & um, ſunt ſecundæ: In a ſunt primæ.*

*¶ Da Paradigma participiorum actiuorum & neutrorum in ans vel in ens finientiũ.*

LEgens participium, veniens à verbo actiuo, temporis præſentis, generis omnis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui & accuſatiui & vocatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic & hæc & hoc legens. Genitiuo huius legentis. Datiuo huic legenti. Accuſatiuo hunc & hanc legentem, & hoc legens. Vocatiuo ô legens. Ablatiuo ab hoc & ab hac legente vel legenti Et pluraliter, Nominatiuo hi & hæ legentes, & hæc legentia. Genitiuo horum & harum & horum legentum vel legentium. Datiuo his legentibus. Accuſatiuo hos & has legentes & hæc legentia. Vocatiuo ô legentes, & ô legentia. Ablatiuo ab his legentibus.



*¶ Da quoq; paradigma participiorum actiuorum aut neutrorum futuri temporis in rus.*

LEcturus participium, veniens à verbo actiuo, temporis futuri, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis,

cis, caſus nominatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic lecturus, hæc lectura, hoc lecturũ. Genitiuo huius lecturi lecturæ lecturi. Datiuo huic lecturo, lecturæ, lecturo. Accuſatiuo hunc lecturũ, hanc lecturam, hoc lecturum. Vocatiuo ô lecturi lecturæ lecturum. Ablatiuo ab hoc lecturo, ab hac lectura, ab hoc lecturo. Et pluraliter, Nominatiuo hi lecturi, hæ lecturæ, hæc lectura. Genitiuo horũ lecturorum, harum lecturarum, horum lecturorum Datiuo his lecturis. Accuſatiuo hos lecturos, has lecturas, hæc lectura. Vocatiuo ô lecturi, lecturæ lectura. Ablatiuo ab his lecturis.





*¶ Da paradigma participiorum paßiuorum, & deponentium, præteriti temporis, in tus, ſus, aut xus, finientium.*

Lectus, participium, veniens à verbo paſsiuo, temporis præteriti, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, caſus nominatiui, quod declinabitur ſic: Nominatiuo hic lectus, hæc lecta, hoc lectum. Genitiuo huius lecti, lectæ, lecti. Datiuo huic lecto, lectæ, lecto. Accuſatiuo hunc lectum, hanc lectam, hoc lectum. Vocatiuo ô lecte, lecta, lectum. Ablatiuo ab hoc lecto, ab hac lecta, ab hoc lecto. Et pluraliter, Nominatiuo, hi lecti, hæ lectæ, hæc lecta. Genitiuo horum lectorum, harum lectarum, horũ lectorum. Datiuo his lectis, Accu-

ſatiuo hos lectos, has lectas, hæc
lecta. Vocatiuo ô lecti, lectæ, le-
cta. Ablatiuo ab his lectis.

*¶ Da quoq; paradigma participiorum paſsi-*
*uorum, & communium verborum, fu-*
*turi temporis, in dus finientium.*

LEgendus, participium, veniens
à verbo paſsiuo, temporis fu-
turi, numeri ſingularis, figuræ ſim-
plicis, caſus nominatiui, quod de-
clinabitur ſic: Nominatiuo hic
legendus, hæc legenda, hoc legen-
dum. Genitiuo huius legendi, le-
gendæ, legendi. Datiuo huic le-
gendo, legendæ, legendo. Accuſa-
tiuo hunc legendum, hanc legen-
dam, hoc legendum. Vocatiuo ô
legende, legenda, legendum. Ab-





latiuo ab hoc legendo, ab hac le-
genda, ab hoc legendo. Et plura-
liter, Nominatiuo hi legendi, hæ
legendæ, hæc legenda. Genitiuo
horum legendorum, harum legen-
darum, horum legendorum. Da-
tiuo his legendis. Accuſatiuo hos
legendos, has legendas, hæc legen-
da. Vocatiuo ô legendi, legendæ,
legenda. Ablatiuo ab his legendis.

## DE CONIVNCTIONE.

CONIVNCTio quid eſt?
Pars orationis, anne-
ctens ordinanſq; ſen-
tentiam.

**Accidentia**

Coniunctioni quot accidunt?
Tria. Quæ? Poteſtas, figura et ordo.

¶ *Vnde dicitur coniunctio? A coniungendo, quod coniungat elocutionem. Nam ſi quis dicat, Ego tu eamus, diſsidet locutio. Si inter pono, &, dicens? ego & tu eamus, incipit cohærere.* ¶ *Ad quid conducit coniunctio? Multum conducit ad recte connectendam orationem. Coniungit enim vim & ordinem orationis, Inde etiam nomen meruit, quia pro vinculo interponitur orationi: quoniam laxum & diffuſum ſermonem more catenæ interpoſitæ deuincit atq; connectit.* ¶ *Penes quid coniunctiones cognoſcuntur? Ex Donati enumeratione fideli, ac vſu quotidiano.*

Poteſtas coniunctionum quot ſpecies habet? Quinq;. Quas? Copulatiuas, diſiunctiuas, expletiuas, cauſales, & rationales. Da copulatiuas? vt, &, q́;, quoq;, at, atq;, ac, aſt. Da diſiunctiuas? vt, aut, ve, vel, ne, nec, an, neq; Da expletiuas? vt, quidem, equidem, ſaltem, videlicet, quamuis,

¶ *Copulatiuæ.*

¶ *Diſiunctiuæ.*

*Expletiuæ.*

quoq́



[q]uoq́;, autem, porrò, licet, tamen, veruntamen. Da cauſales? [e]t, ſi, etſi, etiamſi, ſiquidem, [q]uando, quandoquidem, quin, [q]uinetiam, quatenus, ſin, ſeu, [ſi]ue, neu, neue, nam, namq́;, [en]i, niſi, niſiſi, nec, ſed, interea, [q]uamobrem, præſertim, item, itemq;, cæterum, alioquin, præterea. Da rationales? vt, ita, itaq́;, [en]im, etenim, enimuero, quia, [q]uapropter, quoniam, quoniamquidem, quippe, nempe, ergo, [i]deo, igitur, ſcilicet, videlicet, [p]ropterea.

*Cauſales.*

*Rationales*

¶ *Poteſtas quid eſt? Nihil aliud eſt, [qu]am ipſius coniunctionis ſignificatio.* ¶ *A ſt, [cui]us ſpeciei ſiue poteſtatis? Copulatiuæ: [qu]a copulat, tam ſenſum quam verba: vt, [ego] & tu eamus.* ¶ *Vel, cuius poteſtatis?*



Diſiun-

Diſiunctiuæ: quia dictiones connectens, ſenſum diſiungit: vt, Vel eſt ſanus, vel eſt æger: oportet enim vnum eſſe verum, alterum falſum. ¶ Quidem cuius poteſtatis? Expletiuæ: quia explet, id eſt, explanat ſenſum, & aliquando ſola feſtiuitatis gratia ponitur. ¶ Nam cuius poteſtatis? Cauſalis: quia rei cauſam demonſtrat. ¶ Ergo cuius poteſtatis? Rationalis: quia rei rationem demonſtrat.

Figura. Figuræ coniunctionum quot ſunt? Duæ. Quæ? Simplex? vt, nam, Compoſita: vt, namq́;. Ordo. Ordo coniunctionum in quo eſt? Quia aut præpoſitiuæ coniunctiones ſunt: vt, ac, at, aſt. Aut ſubiunctiuæ: vt, q́;, ne, ve. Aut communes: vt, ergo, ideo, igitur.

¶ Quid eſt ordo in coniunctione? Eſt modus præponendi & poſtponendi coniunctiones. ¶ Quot ſunt ordines coniunctionum? Tres: Qui? Præpoſitiuus, ſubiunctiuus, communis.



¶ Da coniunctiones præpoſitiui ordinis? Ac, at, aſt, atq́;, aut, &, vel, nec, neq́;, ſi, quin, quatenus, ceu, ſeu, ſiue, niſi, ni. ¶ Quare dicuntur præpoſitiui ordinis? Quia ſemper in oratione præponuntur. ¶ Da ſubiunctiui ordinis? Quæ, ne, ve, vero, quoq́; autem, quidem. ¶ Quare dicuntur ſubiunctiui ordinis? Quia ſubiunguntur in orationis ordine. ¶ Da coniunctiones communis ordinis? Cæteræ ferè omnes, præter ſupra dictas: vt, equidem, igitur, tamen, ergo, quanquam, quoniam. ¶ Quare dicuntur communes? Quia in orationis ordine & præponi & poſtponi poſſunt. ¶ Quæ qualis coniunctio? Enclitica ſiue inclinatiua. Quot ſunt coniunctiones encliticæ? Tres. Quæ, ne, ve: quia præcedentem ſyllabam extollunt, ipſe autem inclinantur.

## DE PRAEPOSITIONE.

PRAEpoſitio quid eſt? Pars orationis, quæ præpoſita alijs partib⁹ in oratione, ſignificatio

tionem earum aut complet, aut minuit.

¶ *Quando mutat? Quando diuerſam ſignificationem inducit: vt, æquus, iniquus: ſapio, deſipio.* ¶ *Quando complet? Quando perficit augetue ſignificationem: vt, deamo, deperio, id eſt, valde amo, prorſus pereo.* ¶ *Quando minuit? quando de ſignificatione partis, cui componitur adimit: vt, ſubtriſtis, ſubrideo, id eſt, parum triſtis, parum rideo.* ¶ *Vnde dicitur præpoſitio? A præponendo; quoniam præponitur alijs partibus in ſermone.* ¶ *Quot modis præponitur in ſermone præpoſitio? Bifariam: Per appoſitionem & compoſitionem.* ¶ *Per appoſitionem quando? Quando non eſt vna pars orationis cum appoſita dictione: vt, penes me ſitum eſt.* ¶ *Quando per compoſitionem? Quando cum addita dictione eſt vna pars, vt, iniquus.* ¶ *Penes quid præpoſitiones dignoſcuntur? Ex Donati enumeratione fideli: quia certo numero compræhenduntur.*

*Accidens eſt caſus.*

Præpoſitioni quot accidunt? Vnum. Quid? Caſus tantum.

Quot



Quot caſus? Duo. Qui? Accuſatiuus & ablatiuus. Da præpoſitiones caſus accuſatiui: vt, Ad, apud, ante, aduerſum, cis, citra, circum, circa, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, pone, per, prope, propter, ſecundum, poſt, trans, vltra, præter, ſupra, circiter, vſq;, ſecus, penes. Quomodo? Dicimus enim, Ad patrem, apud villam, ante ædes, aduerſum inimicos, cis Rhenum, citra forum, circum vicinos, citra templum, contra hoſtes, erga propinquos, extra terminos, inter naues, intra mœnia, infra tectum, iuxta macellum, ob augurium, pone tribunal,

*Accuſatiui caſus præpoſitiones ſunt 30.*



per

per parietem, prope feneſtram, propter diſciplinam, ſecundum fores, poſt tergum, trans ripam, vltra fines, præter officium, ſupra cœlum, circiter annos, vſq; Oceanum, ſecus viam, penes arbitros.

*Ablatiui caſus præpoſitiones 15.*

Da præpoſitiones caſus ablatiui: vt, a, ab, abs, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, palam, ſine, abſq;, tenus. Quomodo? Dicimus enim, à domo, ab homine, abs quolibet, cum exercitum, coram teſtibus, clam cuſtodibus, de foro, è iure, ex præfectura, pro clientibus, præ timore, palam omnibus, ſine labore, abſq; iniuria, tenus pube. Da præpoſi



poſitiones vtriuſq; caſus: vt, in, ſub, ſuper & ſubter. Quando accuſatiuo caſui ſeruiunt? Quando nos, vel quoſlibet, ad locum ire, iſſe, vel ituros eſſe ſignificamus. Quando ablatiuo caſui ſeruiunt? Quando, nos, vel quoſlibet, in loco eſſe, vel fuiſſe, vel futuros eſſe ſignificamus. In, accuſatiui caſus: vt, itur in antiquam ſyluam. In, ablatiui caſus: vt, ſtans celſa in puppi. Sub, accuſatiui caſus, vt, poſteſq; ſub ipſos nituntur gradibus. Sub, ablatiui caſus: vt Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu. Super, quam vim habet? Vbi locum ſignificat, magis accuſatiuo quam ablatiuo caſui ſer

*Præpoſitiones vtriuſq; caſus 4.*

*In.*

*Sub.*

*Super.*

ſeruit. Vbi vero mentionem alicuius rei facimus, ablatiuo tantum: vt, multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa, hoc eſt, de Priamo & de Hectore. In, quam vim habet? Etiam tunc accuſatiuo caſui ſeruit, cum ſignificat contra: vt, in adulterum, & in deſertorem. Subter, quam vim habet? Eandem quam & ſuperiores, ad locum & in loco ſignificantes. Quæ præpoſitiones ſunt, quæ à dictionibus ſeparari non poſſunt? Di, dis, re, ſe, an, con. Quomodo? Dicimus enim? diduco, diſtraho, recipio, ſecubo, amplector, congredior. Quæ ſũt, quæ coniungi non poſſunt? Apud

*Subter.*

&



& penes. Quæ coniunguntur & ſeparantur? Reliquæ penè omnes.

¶ *Ad, cuius caſus? Accuſatiui: quia accuſatiuo deſeruit.* ¶ *Quot ſunt præpoſitiones quæ tantum cum accuſatiuo conſtruuntur? Sunt triginta: Ad, apud &c.* ¶ *A, cuius caſus? Ablatiui: quia ablatiuo caſui deſeruit.* ¶ *Quot ſunt præpoſitiones, quæ cum ablatiuo conſtruuntur? Quindecim: vt, A, ab &c.* ¶ *In cuius caſus? Vtriuſq;: quia vtriq; deſeruit, accuſatiuo & ablatiuo.* ¶ *Quot ſunt præpoſitiones, quæ nunc accuſatiuo, nunc ablatiuo conſtrui poſſunt? Quatuor: In, ſub, ſuper, & ſubter.* ¶ *Con, qualis præpoſitio? Inſeparabilis. Quot ſunt præpoſitiones inſeparabiles? Sex Quæ? Di, dis, re, ſe, an, con.* ¶ *Quare dicuntur inſeparabiles? Quia extra compoſitionem nihil ſignificant.*

## DE INTERIECTIONE.

INTERIECTIO quid eſt? Pars orationis, ſignificans mentis affe

affectum, voce incognita.

¶ Interiectio quare vltimo loco poſita eſt? Quia nihil exprimit, niſi affectus animi, qui raro interponuntur. ¶ Vnde dicitur Interiectio? Ab interiacendo: quia interiacet alijs partibus in oratione, quibus in varias partes diſtributis, vox interiectiua profertur.

Accidens. Interiectioni quot accidunt? Vnum. Quid? Significatio. Significatio interiectionum in quo eſt? Quia aut læticiam mentis ſignificamus: vt, euge. Aut dolorem: vt, heu. Aut admirationem: vt, pape. Aut metum: vt, at at: aut ſi qua ſunt ſimilia.

Significatio.

¶ Quid eſt ſignificatio? Eſt proprietas ſignificans affectum mentis. ¶ Quot ſunt ſignificationes? Tot fere, quot affectus. ¶ Da aliquot? Gaudentis, ridentis, admirantis, indignantis, dolentis, metuentis. ¶ Da gaudentis? vt, Eue, euax, ô euge: quia gaudium ſignificant. ¶ Da ridentis? ha ha he: quia

risum



riſum ſignificant. ¶ Da admirantis? vt, pape, hem: quia admirationem ſignificant. ¶ Da indignantis? vt, hem: quia indignationem ſignificat. ¶ Da dolentis? proh, ah, heu hei, ve: quia ſignificant dolorem.

¶ Quæ aliæ orationis partes ſolent pro interiectione proferri? Infandum & malum: vt, Nauibus infandũ omiſſis vnius ob irã. Vir. Quid hoc malum infelicitatis eſt? Terent. Et eſt dictum anxij animi & turbati nimis.

## INTERROGATIONES DE VERBORUM FORMATIONE.

¶ Amas vnde formatur? Ab amo, mutato o in as. ¶ Quot tempora formantur à præſenti indicatiui? Quæcunq; non formantur à præterito perfecto indicatiui. ¶ Quot tempora formantur à præterito perfecto indicatiui? Quinq;, quæ finiunt in ram, ſem, rim, ro, ſe. ¶ Vnde formatur præteritum plusquamperfectum indicatiui in ram? A prima perſona præteriti, i, in e conuerſo, & addito ram, fit amaueram. ¶ Vnde formatur præteritum perfectum optatiui modi in ſem? A præterito perfecto indicatiui, addita ſ & ſem, fit amauiſſem. ¶ Vnde formatur præteritum

per

*perfectum coniunctiui modi in rim? A prima perſona indicatiui, i in e conuerſo, & addito rim, fit amauerim. ¶ Vnde formatur futurum coniunctiui modi in ro? A prima perſona præteriti indicatiui modi, i in e conuerſo, & addito ro, fit amauero. ¶ Vnde formatur præteritum perfectum infinitiui modi in ſe? A prima perſona præteriti indicatiui, addita ſ & ſe, fit amauiſſe. ¶ Vnde formatur ſupinum? A præterito perfecto formatur ſupinum. ¶ Vnde formantur gerundia? A præteritis participiorum in ns, tis in di, do, dum, conuerſo.*

## EXEMPLA CONIVGAtionum ſequuntur.

¶ *Coniuga hoc verbum actiuum, Amo.*

AMO, verbum actiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figuræ



figuræ ſimplicis, perſonæ primæ, coniugationis primæ, quod coniugabitur ſic: Amo amas amat, Et pluraliter, amamus amatis amant. Præterito imperfecto, amabam amabas amabat, Et pluraliter, amabamus amabatis amabant. Præterito perfecto, amaui amauiſti amauit, Et pluraliter, amauimus amauiſtis amauerunt vel amauere. (*Per ſyncopen, Amaſti & amaſtis.*) Præterito pluſquamperfecto, amaueram amaueras amauerat, Et pluraliter, amaueramus amaueratis amauerant. (*Per conciſionem, Amaram amaras amarat.*) Futuro, amabo amabis amabit, Et pluraliter, amabimus

amabitis amabunt.

¶ *Huic futuro imperfecto, vt vocant, addunt grammatici etiam futurum perfectum, ſeu exactum, vt* Linacer *appellat,* Amauero *amaueris amauerit,* Pluraliter, Amauerimus *amaueritis amauerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, ama amet, Et pluraliter, amemus amate ament. Futuro, amato tu, amato ille, Et pluraliter, amemus amatote amanto vel amantote, Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam amarem amares amaret, Et pluraliter, vtinam amaremus amaretis amarent. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam ama



amauiſſem amauiſſes amauiſſet, Et pluraliter, vtinam amauiſſemus amauiſſetis amauiſſent. ( Per *ſyncopen,* Amaſſem *amaſſes amaſſet.* ) Futuro, vtinam amem ames amet, Et pluraliter, vtinam amemus ametis ament. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum amem ames amet, Et pluraliter, cum amemus ametis ament. Pręterito imperfecto, cum amarem amares amaret, Et pluraliter, cum amaremus amaretis amarent. Præterito perfecto, cum amauerim amaueris amauerit, Et pluraliter, cum amauerimus amaueritis amauerint. [ Per *conciſionem,* Amarim *amaris amarit.* ] Præterito

to plusquamperfecto, cum amauiſſem amauiſſes amauiſſet, Et pluraliter, cum amauiſſemus amauiſſetis amauiſſent. [ *Per ſyncopen, Amaſſem amaſſes amaſſet, Pluraliter, amaſſemus amaſſetis amaſſent.* Futuro, cum amauero amaueris amauerit, Et pluraliter, cum amauerimus amaueritis amauerint. [*Per ſyncopen, Amaro amaris amarit.*] Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, amare. Præterito perfecto & plusquamperfecto, amauiſſe. Futuro, amatum ire vel amaturum eſſe. Verbo impersonali, Indicatiuo modo, tempore præſenti, amatur. Præteri



terito imperfecto, amabatur. Præterito perfecto, amatum eſt vel fuit. Præterito plusquamperfecto, amatum erat vel fuerat. Futuro, amabitur. Imperatiuo modo tempore pręſenti, ametur. Futuro, amator. Optatiuo modo, tempore pręſenti, & præterito imperfecto, vtinam amaretur. Præterito perfecto & plusquamperfecto, vtinam amatum eſſet vel fuiſſet, Futuro, vtinam ametur Coniunctiuo modo, tempore pręſenti, cum ametur. Præterito imperfecto, cum amaretur. Præterito perfecto, cum amatum ſit vel fuerit. Præterito plusquamperfecto, cum amatum eſſet vel fu

fuiſſet. Futuro, cum amatum erit vel fuerit. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore pręſenti, & præterito imperfecto, amari. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, amatum eſſe vel fuiſſe. Futuro, amatum iri. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, amandi amando amandum. Supina amatum amatu. Duo participia trahuntur ab hoc verbo actiuo, præſens, vt, amans. Futurum, vt amaturus.

*Quare Donatus vocat gerundia participialia verba? Quia ſunt voces à verbis deductæ, participijs per omnia ſimiles, nec tamen participia ſunt. ¶ Quare non ſunt participia? Quia participia ſignificant tempus ſine adminiſtratione rei: vt, cruciat me lectio*

*ctio*



*ctionis ſolicitudo dicendæ, id eſt, quam dicturus ſum. Gerundia vero, ſignificant adminiſtrationem rei ſine tempore: vt, tenet me cura ſcholæ regendæ, id eſt, quam regere debeo.*

*¶ Da formam coniugandi verba Paſſiua, Deponentia & Communia primæ coniugationis.*

AMor amaris vel amare amatur, Et pluraliter, amamur amamini amantur. Præterito imperfecto, amabar amabaris vel amabare amabatur, Et pluraliter, amabamur amabamini amabantur. Præterito perfecto, amatus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit, Et pluraliter, amati ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere. præterito

 plus

pluſquamperfecto, amatus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat, Et pluraliter amati eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro, amabor amaberis vel amabere amabitur, Et pluraliter, amabimur amabimini amabuntur.

¶ *Et futurum perfectum, ſecundum Linacrum & Nobiſſenſem, Amatus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit, Pluraliter, Amati erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, amare ametur. Et pluraliter, amemur amemini amentur. Futuro, amator tu, amator



tor ille, Et pluraliter, amemur ameminor amantor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam, amarer amareris vel amarere amaretur, Et pluraliter, vtinam amaremur amaremini amarentur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam amatus eſſem vel fuiſſem eſſes vel fuiſſes eſſet vel fuiſſet, Et pluraliter, vtinam amati eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam amer ameris vel amere ametur, Et pluraliter, vtinam amemur amemini amentur. Cõiunctiuo modo, tempore præſenti, cum amer ameris vel amere

ametur, Et pluraliter, cum amemur amemini amentur. Præterito imperfecto, cum amarer amareris vel amarere amaretur, Et pluraliter, cum amaremur amaremini amarentur. Præterito perfecto, cũ amatus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit, Et pluraliter, cum amati ſimus vel fuerimus, ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto, cum amat' eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet, Et pluraliter, cum amati eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum amatus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit, Et pluraliter, cum amati erimus vel

fue



fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti & præterito imperfecto, amari. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, amatum eſſe vel fuiſſe. Futuro, amatum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo paſſiuo, Præteritum: vt, amatus. Futurum: vt, amandus.

¶ *Da paradigma ſecundæ coniugationis.*

DOceo, verbum actiuum, in Indicatiuo modo dictum, tẽporis præſentis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonæ primæ, coniugationis ſecundæ, quod coniugabitur ſic: Doceo doces docet, Et pluraliter, docemus doce-

tis

tis docent. Præterito imperfecto, docebam docebas docebat, Et pluraliter, docebamus docebatis docebant. Præterito perfecto, docui docuiſti docuit: Et pluraliter, docuimus docuiſtis docuerunt vel docuere. Præterito pluſquamperfecto, docueram docueras docuerat, Et pluraliter, docueramus docueratis docuerant. Futuro, docebo docebis docebit. Et pluraliter, docebimus docebitis docebunt.

¶ *Futuro perfecto, Docuero, docueris, docuerit. Pluraliter, docuerimus, docueritis, docuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, doce doceat. Et pluraliter, doceamus docete doceant.





Futuro, doceto tu, doceto ille. Et pluraliter, doceamus docetote docento vel docentote. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam docerem doceres doceret. Et pluraliter, vtinam doceremus doceretis docerēt. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam docuiſſem docuiſſes docuiſſet. Et pluraliter, vtinam docuiſſemus docuiſſetis docuiſſent. Futuro, vtinam doceam doceas doceat. Et pluraliter, vtinam doceamus doceatis doceant. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum doceam doceas doceat, Et pluraliter, cum doceamus doceatis doceant. Præterito imperfecto,

cto, cum docerem doceres doceret.
Et pluraliter, cum doceremus do-
ceretis docerent. Præterito perfecto
cum docuerim docueris docuerit.
Et pluraliter, cum docuerimus do-
cueritis docuerint. Præterito plus-
quamperfecto, cum docuiſſem
docuiſſes docuiſſet. Et pluraliter,
cum docuiſſemus docuiſſetis do-
cuiſſent. Futuro, cum docuero do-
cueris docuerit. Et pluraliter, cum
docuerimus docueritis docuerint.
Infinitiuo modo, ſine numeris &
perſonis, tempore præſenti & præ-
terito imperfecto, docere. Præte-
rito perfecto & pluſquamperfecto
docuiſſe. Futuro doctum ire, vel
docturum eſſe. Verbo imperſo-

nali



nali, Indicatiuo modo, tempore
præſenti, docetur. Præterito im-
perfecto docebatur. Præterito per-
fecto, doctum eſt vel fuit. Præteri-
to pluſquamperfecto, doctum erat
vel fuerat. Futuro, docebitur.
Imperatiuo modo, tempore præ-
ſenti, doceatur. Futuro, docetor.
Optatiuo modo, tempore præſenti
& præterito imperfecto, vtinam
doceretur. Præterito perfecto &
pluſquamperfecto, vtinam doctũ
eſſet vel fuiſſet. Futuro, vtinam
doceatur. Coniunctiuo modo,
tempore præſenti, cum doceatur.
præterito imperfecto, cum doce-
retur. Præterito perfecto, cum
doctum ſit vel fuerit. Præterito

plus

pluſquamperfecto, cum doctum eſſet vel fuiſſet. Futuro, cum doctum erit vel fuerit. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis tempore præſenti, & præterito imperfecto, doceri. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, doctũ eſſe vel fuiſſe. Futuro, doctum iri. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, docendi docendo docẽdum. Supina, doctum doctu. Duo participia trahuntur ab hoc verbo actiuo, Præſens: vt, docens. Futurum: vt, docturus.

¶ *Quomodo exponuntur gerundia & ſupina? Extra ſeriem orationis per ſe nihil ſignificant.*

Doceor doceris vel docere docetur.



Et pluraliter, docemur docemini docentur. Præterito imperfecto, docebar docebaris vel docebare docebatur. Et pluraliter, docebamur docebamini docebantur. Præterito perfecto, doctus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit. Et pluraliter, docti ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerũt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, doctus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat. Et pluraliter, docti eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro, docebor doceberis vel docebere docebitur. Et pluraliter, docebimur docebimini docebuntur.

¶ *Futuro perfecto, Doctus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Pluraliter, docti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erūt vel fuerint:*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, docere doceatur. Et pluraliter, doceamur doceamini doceantur Futuro, docetor tu, docetor ille. Et pluraliter, doceamur doceaminor doceantor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam docerer docereris vel docerere doceretur. Et pluraliter, vtinam doceremur doceremini docerentur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam doctus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel

fuiſſet.



fuiſſet. Et pluraliter, vtinam docti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam docear docearis vel doceare doceatur. Et pluraliter, vtinam doceamur doceamini doceantur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum docear docearis vel doceare doceatur. Et pluraliter, cum doceamur doceamini doceantur. Præterito imperfecto, cum docerer docereris vel docerere doceretur. Et pluraliter, cum doceremur doceremini docerentur. Præterito perfecto, cum doctus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit. Et pluraliter, cum docti ſimus vel fuerimus, ſitis

 vel

vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito plusquamperfecto, cum doctus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, cum docti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum doctus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Et pluraliter, cum docti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, doceri. Præterito perfecto, & plusquamperfecto, doctum eſſe vel fuiſſe. Futuro, doctum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo paſsiuo,





Præteritum, vt, doctus. Futurum, vt, docendus.

*Da formam coniugandi verba tertij coniugatum.*

LEgo, verbum actiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonæ primæ, coniugationis tertiæ, quod coniugabitur ſic: Lego legis legit. Et pluraliter, legimus legitis legunt. Præterito imperfecto, legebam legebas legebat. Et pluraliter, legebamus legebatis legebant. Præterito perfecto, legi legiſtis legit. Et pluraliter, legimus legiſtis legerunt vel legere. (*Apud Terentium, Dixti pro dixiſti, Extinxti, Amaſti, per ſyncopen*) Præterito

vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto, cum doctus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, cum docti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum doctus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Et pluraliter, cum docti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, doceri. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, doctum eſſe vel fuiſſe. Futuro, doctum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo paſsiuo,





Præteritum, vt, doctus. Futurum, vt, docendus.

*Da formam coniugandi verba tertij coniugatus.*

LEgo, verbum actiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figurę ſimplicis, perſonę primę, coniugationis tertię, quod coniugabitur ſic: Lego legis legit. Et pluraliter, legimus legitis legunt. Præterito imperfecto, legebam legebas legebat. Et pluraliter, legebamus legebatis legebant. Præterito perfecto, legi legiſti legit. Et pluraliter, legimus legiſtis legerunt vel legere. (*Apud Terentium, Dixti pro dixiſti, Extinxti, Amaſti, per ſyncopen*) Præterito

pluſquamperfecto, legeram legeras legerat. Et pluraliter, legeramus legeratis legerant. Futuro, legam leges leget. Et pluraliter, legemus legetis legent.

¶ *Futuro perfecto, Legero legeris legerit. Pluraliter, Legerimus legeritis legerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, lege legat. Et pluraliter, legamus legite legant. (*Dic, Duc, Fac, & Fer per Apocopen proferũtur.*) Futuro, legito tu, legito ille. Et pluraliter, legamus legitote leguntote vel leguntote. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam legerem legeres legeret. Et pluraliter, vtinam legeremus legeretis legerent.





Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam legiſſem legiſſes legiſſet. Et pluraliter, vtinam legiſſemus legiſſetis legiſſent. Futuro, vtinam legam legas legat. Et pluraliter, vtinam legamus legatis legant. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum legam legas legat. Et pluraliter, cum legamus legatis legant. Præterito imperfecto, cum legerem legeres legeret. Et pluraliter, cum legeremus legeretis legerent. Præterito perfecto, cum legerim legeris legerit. Et pluraliter, cum legerimus legeritis legerint. Præterito pluſquamperfecto, cum legiſſem legiſſes legiſſet. Et plu-

raliter, cum legiſſemus legiſſetis legiſſent. Futuro, cum legero legeris legerit. Et pluraliter, cum legerimus legeritis legerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, legere. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, legiſſe. Futuro, lectum ire, vel lecturum eſſe. Verbo imperſonali, Indicatiuo modo, tempore præſenti, legitur. Præterito imperfecto, legebatur. Præterito perfecto, lectum eſt vel fuit. Præterito pluſquamperfecto, lectum erat vel fuerat. Futuro, legetur.

¶ *Futuro perfecto, Lectum erit.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti,



ſenti, legatur. Futuro, legitor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam legeretur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam lectum eſſet vel fuiſſet. Futuro, vtinam legatur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum legatur. Præterito imperfecto cum legeretur. Præterito perfecto, cum lectum ſit vel fuerit. Præterito pluſquamperfecto, cum lectum eſſet vel fuiſſet. Futuro, cum lectum erit vel fuerit. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto legi. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, lectum

eſſe vel fuiſſe. Futuro, lectum iri. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, legendi legendo legendum. Supina lectum lectu. Duo participia trahuntur ab hoc verbo actiuo, Præſens, vt, legens. Futurum, vt lecturus.

¶*Sequitur coniugatio verbi, Legor, paßiua.*

LEgor legeris vel legere legitur. Et pluraliter, legimur legimini leguntur. Præterito imperfecto, legebar legebaris vel legebare legebatur. Et pluraliter, legebamur legebamini legebantur. Præterito perfecto, lectus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit. Et pluraliter, lecti ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere,



fuere. Præterito pluſquamperfecto, lectus eram vel fueram, eras vel fueras erat vel fuerat. Et pluraliter, lecti eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro, legar legeris vel legere legetur. Et pluraliter, legemur legemini legentur.

¶ *Futuro perfecto, Lectus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Pluraliter, Lecti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, legere legatur. Et pluraliter, legamur legamini legantur. Futuro legitor tu, legitor ille. Et pluraliter, legamur legiminor leguntor. Optatiuo modo, tem

tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam legerer legereris vel legerere legeretur. Et pluraliter, vtinam legeremur legeremini legerentur. Præterito perfecto & plusquamperfecto. vtinam lectus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, vtinam lecti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam legar legaris vel legare legatur. Et pluraliter, vtinam legamur legamini legantur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum legar legaris vel legare legatur. Et pluraliter, cum legamur legamini legantur, Præterito imperfecto, cum



cum legerer legereris vel legerere legeretur. Et pluraliter, cum legeremur legeremini legerentur. Præterito perfecto, cum lectus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit. Et pluraliter, cum lecti ſimus vel fuerimus, ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito plusquamperfecto, cum lectus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, cum lecti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum lectus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Et pluraliter, cum lecti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo

tiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, legi.

*¶ Hic notabit puer apud Terentium. Imitarier, conuiuarier, viderier, deludier, claudier, operier, &c. poëticam proparalipſin eſſe, & ſyllabam er ocioſe adijci.*

Præterito perfecto & pluſquamperfecto, lectum eſſe vel fuiſſe. Futuro lectum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo paſsiuo. Præteritum, vt lectus. Futurum, vt legendus.

### *Coniuga Audio, verbum quartæ coniugationis.*

AVdio, verbum actiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonæ pri



vtinam audirem audires audiret. Et pluraliter, vtinam audiremus audiretis audirent. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam audiuiſſem audiuiſſes audiuiſſet. Et pluraliter, vtinam audiuiſſemus audiuiſſetis audiuiſſent. [*Vel, Audiſſem audiſſes audiſſet.*] Futuro, vtinam audiam audias audiat. Et pluraliter, vtinam audiamus audiatis audiant. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum audiam audias audiat. Et pluraliter, cum audiamus audiatis audiant. Præterito imperfecto, cum audirem audires audiret. Et pluraliter, cum audiremus audiretis audirent. Præterito

 per

perfecto, cum audiuerim audiueris audiuerit. Et pluraliter, cum audiuerimus audiueritis audiuerint. [ *Audierim per ſyncopen* ] Præterito plusquamperfecto, cum audiuiſſem audiuiſſes audiuiſſet. Et pluraliter, cum audiuiſſemus audiuiſſetis audiuiſſent. [ *Vel, Audiſſem & audiſſem.* ] Futuro, cum audiuero audiueris audiuerit. Et pluraliter, cum audiuerimus audiueritis audiuerint. [ *Audiero per ſyncopen.* ] Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, audire. Præterito perfecto & plusquamperfecto, audiuiſſe. Futuro, auditum ire, vel auditurum

eſſe,



primę, coniugationis quartę, quod coniugabitur ſic: Audio audis audit. Et pluraliter, audimus auditis audiuut. [ *Sic Venimus, à venio, & inuenit* ] Præterito imperfecto, audiebam audiebas audiebat. Et pluraliter, audiebamus audiebatis audiebant.

¶ *Veteres hæc ſine e litera pronunciabant, dicentes, nutribam, ſcibam, inſanibam.*

Præterito perfecto, audiui audiuiſti audiuit. Et pluraliter, audiuimus audiuiſtis audiuerunt vel audiuere.

[ *Et audij audijſti vel audiſti audijt &c. per ſyncopen: Sic ſciſti. A venio dicis in præterito perfecto, veni, prima producta, & venimus prima pluralis. Sic dices, inueni, aduení, inuenimus, aduenimus.* ]

Præterito plusquamperfecto,

audi

audiueram audiueras audiuerat. Et pluraliter, audiueramus audiueratis audiuerant. ( *Audieram, nutrieram, per ſyncopen.* ) Futuro, audiam audies audiet. Et pluraliter, audiemus audietis audient.

*Futuro perfecto, Indicatiuo modo, Audiuero audiueris audiuerit. Pluraliter, Audiuerimus audiueritis audiuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, audi audiat. Et pluraliter, audiamus audite audiant. Futuro, audito tu, audito ille. Et pluraliter, audiamus auditote audiunto vel audiuntote. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto,





eſſe. Verbo imperſonali, Indicatiuo modo, tempore præſenti, auditur. Præterito imperfecto, audiebatur. Præterito perfecto, auditum eſt vel fuit. Præterito pluſquamperfecto, auditum erat vel fuerat. Futuro, audietur.

¶ *Futuro perfecto, auditum erit vel fuerit.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, audiatur. Futuro, auditor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam audiretur. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam auditum eſſet vel fuiſſet. Futuro, vtinam audiatur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum audiatur. Præterito im-

perfecto, cum audiretur. Præterito perfecto, cum auditum ſit vel fuerit. Præterito pluſquamperfecto, cum auditum eſſet vel fuiſſet. Futuro, cum auditum erit vel fuerit. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, audiri. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, auditum eſſe vel fuiſſe. Futuro, auditum iri. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, audiendi audiendo audiendum. Supina, auditum auditu. Duo participia trahuntur ab hoc verbo actiuo, Præſens, vt audiens. Futurum, vt, auditurus.

¶ *Declina Verbum, Audior paſsiuum.*





AUdior audiris vel audire auditur. Et pluraliter, audimur audimini audiuntur. Præterito imperfecto, audiebar audiebaris vel audiebare audiebatur. Et pluraliter, audiebamur audiebamini audiebantur. Præterito perfecto, auditus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit. Et pluraliter, auditi ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, auditus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat. Et pluraliter, auditi eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro, audiar audieris vel audiere audietur. Et pluraliter, audiemur au-

diemini audientur.

¶ *Futuro perfecto, Auditus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Pluraliter, auditi erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, audire audiatur. Et pluraliter, audiamur audiamini audiantur. Futuro, auditor tu, auditor ille. Et pluraliter, audiamur audiaminor audiantor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam audirer audireris vel audirere audiretur. Et pluraliter, vtinam audiremur audiremini audirentur. Præterito pluſquamperfecto vtinam auditus eſſem vel fuiſſem, eſſes



eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, vtinam auditi eſſemus vel fuiſſemus eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam audiar audiaris vel audiare audiatur. Et pluraliter, vtinam audiamur audiamini audiantur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti cum audiar audiaris vel audiare audiatur. Et pluraliter, cum audiamur audiamini audiantur. Præterito imperfecto, cum audirer audireris vel audirere audiretur. Et pluraliter, cum audiremur audiremini audirentur. Præterito perfecto, cum auditus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit. Et pluraliter, cum auditi ſimus vel

diemini audientur.

¶ *Futuro perfecto, Auditus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Pluraliter, auditi erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, audire audiatur. Et pluraliter, audiamur audiamini audiantur. Futuro, auditor tu, auditor ille. Et pluraliter, audiamur audiaminor audiantor. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam audirer audireris vel audirere audiretur. Et pluraliter, vtinam audiremur audiremini audirentur. Præterito pluſquamperfecto vtinam auditus eſſem vel fuiſſem, eſſes



eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, vtinam auditi eſſemus vel fuiſſemus eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam audiar audiaris vel audiare audiatur. Et pluraliter, vtinam audiamur audiamini audiantur. Coniunctiuo modo, tempore præſenti cum audiar audiaris vel audiare audiatur. Et pluraliter, cum audiamur audiamini audiantur. Præterito imperfecto, cum audirer audireris vel audirere audiretur. Et pluraliter, cum audiremur audiremini audirentur. Præterito perfecto, cum auditus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit. Et pluraliter, cum auditi ſimus vel

vel fuerimus ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto, cum auditus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, cum auditi eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum auditus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Et pluraliter, cum auditi erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, audiri. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, auditum eſſe vel fuiſſe. Futuro, auditum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo





paſsiuo. Præteritum, vt auditus. Futurum, vt audiendus.

## QVI EST VERBORVM ANOmalorum coniugatus.

FEro verbum anomalum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figurę ſimplicis, perſonę primę, cõiugationis incõſequentis, quod coniugabitur ſic: Fero fers fert. Et pluraliter, ferimus fertis ferunt. Præterito imperfecto, ferebam ferebas ferebat. Et pluraliter, ferebamus ferebatis ferebant. Præterito perfecto, tuli tuliſti tulit. Et pluraliter, tulimus tuliſtis tulerunt vel tulere. Præterito pluſquamperfecto, tuleram tuleras tulerat. Et

pluraliter, tuleramus tuleratis tulerant. Futuro, feram feres feret. Et pluraliter, feremus feretis ferent.

¶ *Futuro perfecto, Tulero tuleris tulerit. Pluraliter, tulerimus tuleritis tulerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, fer ( *vel feras* ) ferat. Et pluraliter, feramus ferte ferant. Futuro, ferto tu ( *vel tuleris* ) ferto ille. Et pluraliter, feramus fertote ferunto vel feruntote. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam ferrem ferres ferret. Et pluraliter, vtinam ferremus ferretis ferrent. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vti



vtinam tuliſſem tuliſſes tuliſſet. Et pluraliter, vtinam tuliſſemus tuliſſetis tuliſſent. Futuro, vtinam feram feras ferat. Et pluraliter, vtinam feramus feratis ferant. Cõiunctiuo modo, tempore præſenti cum feram feras ferat, Et pluraliter, cum feramus feratis ferant. Præterito imperfecto, cum ferrem ferres ferret. Et pluraliter, cum ferremus ferretis ferrent. Præterito perfecto, cum tulerim tuleris tulerit. Et pluraliter, cum tulerim' tuleritis tulerint. Præterito pluſquamperfecto, cum tuliſſem tuliſſes tuliſſet. Et pluraliter, cum tuliſſemus tuliſſetis tuliſſent. Futuro, cum tulero tuleris tulerit. Et plu

pluraliter, cum tulerimus tuleri-
tis tulerint. Infinitiuo modo, ſine
numeris & perſonis, tempore præ-
ſenti, & præterito imperfecto, fer-
re. Præterito perfecto & pluſquam
perfecto, tuliſſe. Futuro, latum
ire, vel laturum eſſe. Verbo im-
perſonali, Indicatiuo modo, tem-
pore præſenti, fertur. Præterito
imperfecto, ferebatur. Præterito
perfecto, latum eſt vel fuit. Præ-
terito pluſquamperfecto, latum
erat vel fuerat. Futuro, feretur. Im-
peratiuo modo, tempore præſenti
feratur. Futuro, fertor. Optatiuo
modo, tempore præſenti, & præ-
terito imperfecto, vtinam ferretur.
Præterito perfecto, & pluſquam-
per



perfecto, vtinam latum eſſet vel
fuiſſet. Futuro, vtinam feratur.
Coniunctiuo modo, tempore
præſenti, cum feratur. Præterito
imperfecto, cum ferretur. Præteri-
to perfecto, cum latum ſit vel
fuerit. præterito pluſquã perfecto,
cum latum eſſet vel fuiſſet. Futuro
cum latum erit vel fuerit. Infini-
tiuo modo, ſine numeris & per-
ſonis, tempore præſenti, & præte-
rito imperfecto, ferri. Præterito
perfecto, & pluſquamperfecto, la-
tum eſſe vel fuiſſe. Futuro, latum
iri. Gerundia vel participialia ver-
ba ſunt hæc, ferendi ferendo fe-
rendum. Supina, latum latu. Duo
participia trahuntur ab hoc ver-
bo

bo actiuo. Præſens, vt, ferens. Futurum, vt, laturus.

¶ *Coniugatio verbi anomali paßiui.*

FEror ferris vel ferre fertur. Et pluraliter, ferimur ferimini feruntur. Præterito imperfecto, ferebar ferebaris vel ferebare ferebatur. Et pluraliter, ferebamur ferebamini ferebantur. Præterito perfecto, latus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit. Et pluraliter, lati ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, latus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat. Et pluraliter, lati eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro, ferar

fere



perfecto, cum latus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet. Et pluraliter, cum lati eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, cum latus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit. Et pluraliter, cum lati erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, ferri. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, latum eſſe vel fuiſſe. Futuro, latum iri. Duo participia trahuntur ab hoc verbo paſsiuo, Præteritum, vt latus; Futurum, vt, ferendus.

¶ *Da coniugationem verbi ſubſtantiui Sum?*

K

Sum

SVm, verbum anomalum, & ſubſtantiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figurę ſimplicis, perſonę primę, coniugationis inconſequentis, quod coniugabitur ſic: Sum es eſt. Et pluraliter, ſumus eſtis ſunt. Præterito imperfecto, eram eras erat. Et pluraliter, eramus eratis erant. Præterito perfecto, fui fuiſti fuit. Et pluraliter, fuimus fuiſtis fuerunt vel fuère. Præterito pluſquamperfecto, fueram fueras fuerat. Et pluraliter, fueramus fueratis fuerant. Futuro, ero eris erit. Et pluraliter, erimus eritis erunt.

¶ *Futuro perfecto, Fuero fueris fuerit.*





*Pluraliter, Fuerimus fueritis fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, ſis ſit. Et pluraliter, ſimus ſitis vel eſte, ſint. Futuro, eſto tu, eſto ille. Et pluraliter, ſimus eſtote ſunto vel ſuntote. Optatiuo modo, tempore præſenti & præterito imperfecto, vtinam eſſem eſſes eſſet. Et pluraliter, vtinam eſſemus eſſetis eſſent. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam fuiſſem fuiſſes fuiſſet. Et pluraliter, vtinam fuiſſemus fuiſſetis fuiſſent. Futuro vtinam ſim ſis ſit. Et pluraliter, vtinam ſimus ſitis ſint. Coniunctiuo modo, tempore præſenti,

cum ſim ſis ſit. Et pluraliter, cum ſimus ſitis ſint. Præterito imperfecto, cum eſſem eſſes eſſet. Et pluraliter, cum eſſemus eſſetis eſſent. Præterito perfecto, cum fuerim fueris fuerit. Et pluraliter, cum fuerimus fueritis fuerint. Præterito plusquamperfecto, cum fuiſſem fuiſſes fuiſſet. Et pluraliter, cum fuiſſemus fuiſſetis fuiſſent. Futuro, cum fuero fueris fuerit. Et pluraliter, cum fuerimus fueritis fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, eſſe. Præterito perfecto, & plusquamperfecto, fuiſſe. Futuro, caret. (*Sed ſecundum eruditiores*

habet



*habet fore, vel futurum eſſe.*) Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, eſſendi eſſendo eſſendum. Supinis caret. Vnum participium habet quod eſt ens.

*De coniugationum verbi Volo.*

VOlo, verbum anomalum, in Indicatiuo modo dictum, tẽporis præſentis, numeri, ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonę primę, coniugationis inconſequentis, quod coniugabitur ſic: Volo vis vult. Et pluraliter, volumus vultis volunt. Præterito imperfecto, volebam volebas volebat. Et pluraliter, volebamus volebatis volebant. Præterito perfecto, volui voluiſti voluit. Et pluraliter, vo-

 luimus

luimus voluiſtis voluerunt vel vo-
luere. Præterito pluſquamperfe-
cto, volueram volueras voluerat.
Et pluraliter, volueramus volue-
ratis voluerant. Futuro, volem
voles volet. Et pluraliter, volemus
voletis volent. Imperatiuo caret.
Futurum non habet.

*At ſecundum Diomedem & Aldum, habet in Imperatiuo inſtantis, Fac velis. Et pluraliter, velimus velitis velint. Futuro, velito tu, velit ille. Et pluraliter, velimus velitote velint.*

Optatiuo modo, tempore pręſenti, & præterito imperfecto, vtinam vellem velles vellet. Et pluraliter, vtinam vellemus velletis vellent. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam voluiſſem



iſſem voluiſſes voluiſſet. Et pluraliter, vtinam voluiſſemus voluiſſetis voluiſſent. Futuro, vtinam velim velis velit. Et pluraliter, vtinam velimus velitis velint. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum velim velis velit. Et pluraliter, cum velimus velitis velint. Præterito imperfecto, cum vellem velles vellet. Et pluraliter, cum vellemus velletis vellent. Præterito perfecto, cum voluerim volueris voluerit. Et pluraliter, cum voluerimus volueritis voluerint. Præterito pluſquamperfecto, cũ voluiſſem voluiſſes voluiſſet. Et pluraliter, cum voluiſſemus voluiſſetis voluiſſent. Futuro, cum volu

SVm, verbum anomalum, & ſubſtantiuum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figurę ſimplicis, perſonę primę, coniugationis inconſequentis, quod coniugabitur ſic: Sum es eſt. Et pluraliter, ſumus eſtis ſunt. Præterito imperfecto, eram eras erat. Et pluraliter, eramus eratis erant. Præterito perfecto, fui fuiſti fuit. Et pluraliter, fuimus fuiſtis fuerunt vel fuère. Præterito plusquamperfecto, fueram fueras fuerat. Et pluraliter, fueramus fueratis fuerant. Futuro, ero eris erit. Et pluraliter, erimus eritis erunt.

¶ *Futuro perfecto, Fuero fueris fuerit.*

Plu



*Pluraliter, Fuerimus fueritis fuerint.*

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, ſis ſit. Et pluraliter, ſimus ſitis vel eſte, ſint. Futuro, eſto tu, eſto ille. Et pluraliter, ſimus eſtote ſunto vel ſuntote. Optatiuo modo, tempore præſenti & præterito imperfecto, vtinam eſſem eſſes eſſet. Et pluraliter, vtinam eſſemus eſſetis eſſent. Præterito perfecto, & plusquamperfecto, vtinam fuiſſem fuiſſes fuiſſet. Et pluraliter, vtinam fuiſſemus fuiſſetis fuiſſent. Futuro vtinam ſim ſis ſit. Et pluraliter, vtinam ſimus ſitis ſint. Coniunctiuo modo, tempore præſenti,

 cum

cum ſim ſis ſit. Et pluraliter, cum ſimus ſitis ſint. Præterito imperfecto, cum eſſem eſſes eſſet. Et pluraliter, cum eſſemus eſſetis eſſent. Præterito perfecto, cum fuerim fueris fuerit. Et pluraliter, cum fuerimus fueritis fuerint. Præterito plusquamperfecto, cum fuiſſem fuiſſes fuiſſet. Et pluraliter, cum fuiſſemus fuiſſetis fuiſſent. Futuro, cum fuero fueris fuerit. Et pluraliter, cum fuerimus fueritis fuerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, eſſe. Præterito perfecto, & plusquamperfecto, fuiſſe. Futuro, caret. (*Sed ſecundum eruditiores habet*



*habet fore, vel futurum eſſe.*) Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, eſſendi eſſendo eſſendum. Supinis caret. Vnum participium habet quod eſt ens.

*Da coniugationum verbi Volo.*

Volo, verbum anomalum, in Indicatiuo modo dictum, temporis præſentis, numeri ſingularis, figuræ ſimplicis, perſonæ primæ, coniugationis inconſequentis, quod coniugabitur ſic: Volo vis vult. Et pluraliter, volumus vultis volunt. Præterito imperfecto, volebam volebas volebat. Et pluraliter, volebamus volebatis volebant. Præterito perfecto, volui voluiſti voluit. Et pluraliter, voluimus

luimus voluiſtis voluerunt vel vo-
luere. Præterito pluſquamperfe-
cto, volueram volueras voluerat.
Et pluraliter, volueramus volue-
ratis voluerant. Futuro, volem
voles volet. Et pluraliter, volemus
voletis volent. Imperatiuo caret.
Futurum non habet.

*At ſecundum Diomedem & Aldum, habet in imperatiuo inſtantis, Fac velis. Et pluraliter, velimus velitis velint. Futuro, velito tu, velit ille. Et pluraliter, velimus velitote velint.*

Optatiuo modo, tempore pręſenti, & præterito imperfecto, vtinam vellem velles vellet. Et pluraliter, vtinam vellemus velletis vellent. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, vtinam voluiſſem



iſſem voluiſſes voluiſſet. Et pluraliter, vtinam voluiſſemus voluiſſetis voluiſſent. Futuro, vtinam velim velis velit. Et pluraliter, vtinam velimus velitis velint. Coniunctiuo modo, tempore præſenti, cum velim velis velit. Et pluraliter, cum velimus velitis velint. Præterito imperfecto, cum vellem velles vellet. Et pluraliter, cum vellemus velletis vellent. Præterito perfecto, cum voluerim volueris voluerit. Et pluraliter, cum voluerimus volueritis voluerint. Præterito pluſquamperfecto, cũ voluiſſem voluiſſes voluiſſet. Et pluraliter, cum voluiſſemus voluiſſetis voluiſſent. Futuro, cum volu

voluero volueris voluerit. Et pluraliter, cum voluerimus volueritis voluerint. Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, velle. Præterito perfecto, & pluſquamperfecto, voluiſſe. Futuro caret. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, volendi, volendo, volendum. Supinis caret. Vnum participiũ habet, quod eſt volens.

*Finis Donati.*

## DE CONIVGATIONE
### *Verborum Imperſonalium.*

VERBVM imperſonale eſt, quod nec numeros diſtinctos, nec perſonas habet. Eſt autem inuen-





tum, cauſa ornatus & varietatis, quo ſermo Latinus vberior & copioſior redderetur. Sunt Imperſonalium duę ſpecies, Actiua & Paſsiua. Actiua eſt, quæ habet formam & vocem actiuorum. Paſsiua, quę paſsiuorum figuram habet. Et exponuntur per perſonas pronominum: vt, pudet me, te, illum: ſine quibus nihil ſignificat.

Imperſonalia actiua in tres formas terminantur, in at, et, & it.

¶ *In at finita ſunt primæ coniugationis.*

Conſtat conſtitit.
Iuuat iuuit.
Vacat vacauit.

Reſtat reſtitit.
Præſtat præſtitit.
Delectat delectauit.

¶ *In et ſecundæ coniugationis.*

Pœnitet pœnituit.
Oportet oportuit.
Decet decuit.
Tędet tęduit, & pertęſum eſt.
Nocet nocuit.
Liquet, ſine præterito.
Diſplicet diſplicuit.
Solet ſolitum eſt.
Piget piguit & pigitum eſt.
Pudet puduit, & puditum eſt.
Miſeret miſertum eſt.
Placet placuit, placitum eſt.
Patet patuit.
Licet licuit, & licitum eſt.

Libet



Libet libuit, & libitum eſt.

¶ *In it tertiæ coniugationis.*

Incipit incepit.
Conducit conduxit.
Deſinit deſiuit, & deſijt.
Sufficit ſuffecit.
Contingit contigit.
Confert contulit.
Prodeſt profuit.
Obeſt obfuit.
Confit.
Accidit.
Cœpit cœpit.
Malefit malefactum eſt.
Benefit benefactum eſt.
Refert retulit.
Intereſt interfuit.
Competit competiuit.

Poteſt

Poteſt potuit.

Deſit.

¶ *Hæc in it quartæ ſunt coniugationis in præſenti media correpta: in præterito longa.*

Conuenit conuenit.

Euenit euenit.

Expedit expedit.

Coniugantur autem vna ſolum perſona, quæ apparet tertię perſonę ſingularis, per ſingulos modos & tempora. Carent tamen futuro, tàm imperatiui, quàm infinitiui. Item participijs vtriuſq; temporis, & gerundijs atque ſupinis, quædam etiam deficiunt.

PARADIGMA.

Indicatiuo modo, tempore





præſenti, pœnitet. Præterito imperfecto, pœnitebat. Præterito perfecto, pœnituit. Præterito plusquãperfecto, pœnituerat. Futuro, pœnitebit. Imperatiuo modo, tempore præſenti, pœniteat. Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam pœniteret. Præterito perfecto, & plusquamperfecto, vtinã pœnituiſſet, Futuro, vtinam pœniteat. Subiunctiuo modo, tempore præſẽti, cum pœniteret. Præterito perfecto cum pœnituerit. Præterito plusquamperfecto, cum pœnituiſſet. Futuro, cum pœnituerit. Infinitiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, pœnitere. Præ-

terito perfecto & pluſq̃perfecto, pœnituiſſe. Gerundia, pœnitendi pœnitendo pœnitendum. Cæteris deficit.

*Pœnitens, apud Terent: vt pœnitens facti.*

¶ *Coniuga in vtroq; numero.*

Me pœnitet, te pœnitet, illum pœnitet. Pluraliter, nos pœnitet, vos pœnitet, illos pœnitet. Et ſic deinceps.

¶ *Imperſonalia paſsiua.*

IMperſonalia, paſsiuæ formæ actionem ſignificant, & caſum paſsiuorum in eorum conſtructiōe habent: vt, à me pugnatur, id eſt, ego pugno. Legitur, id eſt, omnes legunt. Et deriuantur ab actiuis, à ſecunda pſona indicatiui, s litera

abie



abiecta, & tur addita, & à neutris. Coniugātur tamen in tertijs tantū perſonis ſingularibus, Præterita eorū recipiunt priora ſupina ſuorū perſonalium, cum verbo ſubſtantiuo eſt vel fuit.

Paradigma extat in Donato

Intereſt tamen inter infinitum paſsiui perſonalis, & infinitū imperſonalis paſsiui. Infinitum paſsiui perſonalis pfectum ſenſum oſtendit, dum illi verbum coniungitur: vt, amari volo. Infinitum autem imperſonalis paſsiui, appoſito etiā verbo, tantū ablatiuū agentem requirit: vt, à me amari volo, id eſt, volo amare. Et à me doceri volo, id eſt, volo docere.

FINIS.

Kérjük
Megoltalmazz minket ferenn [illegible]
Semmi nyomorúságtól életünktől
halálos karzattól az
ördögnek hatalmatol
és az örökre [illegible]
Credidi [illegible] et [illegible]
[illegible] in [illegible]
Ung. Libri Stephany [illegible]

Ung. pp. libris
Heliopolis Illie [illegible]
Vel. [illegible] falv
Hol mas [illegible] Athenas
Paglyoc [illegible] Athenasba

KOLOSVÁRI REF. COLL. 1871 KÖNYVTÁRA

[illegible] ita ut [illegible]
[illegible] in [illegible] contrario [illegible]
[illegible] in tantum [illegible] amari [illegible]
[illegible] Religioni [illegible]

Donati Aelii... Szabó II. 164.

V É G E.